Cornutus, Lucius Annaeus

CORNUTI
ARTIS RHETORICAE EPITOME

EDIDIT ET COMMENTATUS EST

IOANNES GRAEVEN.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCXCI.

HERMANNO ET DOROTHEAE

ECKHARDT

S

PRAEFATIO.

Aestate anni 1887 adfines carissimi, quibus hunc libellum sacrum esse volui, cum in me saltum Teutoburgensem pererrantem incidissent, benignam invitationem mihi obtulerunt, ut se comitarer Lutetiam Parisiorum, in urbem suam. ubi Udalrico de Wilamowitz auctore inter alia anonymum tractatum rhetoricum codicis Par. Gr. 1874 contuli, quo fundamentum novae editionis iacerem. nunc librum emissurus facere non possum, quin gratias quam maximas referam et illustribus rectoribus Bibliothecae Parisinae et Hermanno Sauppe atque Udalrico de Wilamowitz, praeceptoribus optime de me meritis. ab illorum enim liberalitate intercedente Carolo Dziatzko impetravi, ut cod. 1874, in quo complures locos iterum inspicere cupiebam, et cod. 2922, quem labori meo magno fore usui sperabam, Gottingam mitterentur; hi summa benevolentia operi meo assidue faverunt neque umquam consulenti mihi defuerunt. ad emendanda verba ipsius tractatus quantum contulerint, omnis pagina editionis clamat, in instituendis quaestionibus, quae Prolegomenis continentur, quantum consiliis suis me adiuveriut, dici nequit.

Dabam Gottingae Non. Febr.

CONSPECTUS LIBELLI

PROLEGOMENA

Libellus, quem novo titulo instructum denuo edituri sumus, primum anno h. s. XL Seguerii cura in lucem prodiit[1], unde Anonymi Segueriani *Τέχνη τοῦ πολιτικοῦ λόγου* nominari solet. quam licet Leonardus Spengel, qui tredecim annis post libellum in corpus Rhetorum Graecorum recepit[2], summo iure bonae frugis plenam dixerit, perpauci v. d. legere voluerunt[3] neque plures libellum mendis repurgare studuerunt[4], quibus ut hortus parum cultus herbis nocentibus usque ad hunc diem scatet.

Libellus uno codice manuscripto traditur, qui in bibliotheca Parisina, quae olim Regia nunc Nationalis appellatur, sub numero 1874 adservatur. hoc codice post Alexandri Aphrodisiensis in Aristotelis Topica commentarium quinque tractatus rhetorici continentur:

---

[1] Séguier de St. Brisson *Notice du manuscrit grec de la bibliothèque royale portant le n^o^* 1874, quae commentatio et separatim edita est Lutetiae 1840 et inserta libro *Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du roi* vol. XIV, 2 Lutetiae 1843 p. 185.

[2] *Rhetores Graeci* vol. I Lipsiae 1853 p. 427.

[3] Schneidewinus *Neue Jenaische Allg. Litt. Zeit.* II 1843 p. 218sqq. in censura editionis Seguerianae ea, quae de Apollodoreis Theodoreisque hoc libello docentur, et antiquiorum scriptorum fragmenta excerpsit. Morawskius *Quaest. Quintil.* diss. Berol. 1874 p. 34sqq. et *Rh. Mus.* XXXIV 1879 p. 370 complures libelli partes, quae cum Quintiliano consentiunt, Alexandro Numenio vindicandas esse atque hunc et Quintilianum eas Caecilio debere coniecit. nuperrime Schanzius *Hermes* XXV 1890 p. 36 libellum ad doctrinam Apollodori et Theodori explicandam adhibuit.

[4] Praeter Kayserum et Finckhium, qui ad emendandum libellum operam studiumque contulerunt, hi nobis innotuerunt, qui occasione data singulos locos tractaverint: Schneidewinus l. l., anonymus, qui Sp I (= Spengelii Rhetorum Gr. vol. I) recensuit *Litterar. Centralblatt* 1854 p. 12, Cumanudes *Specimen emendationum* 1854 p. 16, Volckmannus *Rhetorik der Griechen und Römer*[2] 1885, Schanzius l. l., Thielius *Diss. Gryphisw.* 1889 p. 29.

1. Anonymi *Τέχνη τοῦ πολιτικοῦ λόγου*,
2. *Ἀψίνου περὶ τῶν ἐσχηματισμένων προβλημάτων*,
3. *Μινουκιανοῦ περὶ ἐπιχειρημάτων*,
4. *Ἀψίνου τέχνη ῥητορική*, cui fragmentum *περὶ ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως* (Sp I 165) adnexum est,
5. *Μενάνδρου ῥήτορος περὶ ἐπιβατηρίου* et alia de generis demonstrativi speciebus capita.

cum vero ab aliis ad alios libros edendos adhibitus compluribus locis descriptus sit[1], nobis brevissime de eo agere licet. saeculo XIII exaratus est in chartae bombycinae foliis formae quartae, quae scriptura adeo occupata sunt, ut angustissimi margines relinquerentur. quare saepe parvis laciniis abscissis perierunt summis foliorum versibus aliquot verba atque in extremis oris singulae litterae detritae sunt, dum alternis paginis limbi chartacei adglutinantur, quibus ipsis interdum particulae scripturae obteguntur. is autem, qui margines chartulis munivit, aut posterior lector compluribus locis obscuratos ductus primae manus nigriore atramento secutus est[2] et vocabula truncata in chartula supplere temptavit, qua in re semel graviter erravit[3]. eodem loco Seguerius incertiores reliquias falso reddidit et idem saepius erravit in compendiis interpretandis,

---

[1] Accuratissime a Seguerio l. l. (idem de codice 1874 etiam egit in *Dissertation sur le fragment de Longin* Lutetiae 1838, sed huius dissertationis inspiciendae occasio nobis non fuit), tum a Bakio *Apsinis et Longini Rhetorica* Oxonii 1849 p. XLIII, denique a Bursiano in praefatione Menandri rhetoris novae editionis *Abhandl. der Kgl. Bayr. Acad. der Wissensch.* 1881 XVI, III p. 7.

[2] Cf. e. g. p. 50 22: post verba *τὸ μὲν*, in quae fol. 126 desinit, fol. 127, cuius initio tres vel quattuor litterae ita evanuerunt, ut vix incerta vestigia ultimae, quae *λ* fuisse videtur, manerent, *ον ου ποιητικ ἔχουσ* et nisi fallor supra litteram *σ* reliquias syllabae *αν* compendii exhibet. litterae *κ* et *ἔχο* illo nigriore atramento scripta sunt, sed litteras primae manus recte repictas esse cognoscitur. Seguerius autem *ἄχους* a secunda manu scriptum esse neque quae sit lectio primae manus, adnotavit, quare Spengelius *ἄχους* additamentum secundae manus esse ratus omisit.

[3] In folio infimo 125 verba p. 43 22 *κατὰ δὲ τὰ στοχαστικὰ ζη-* leguntur, in summo fol. 126, cuius extrema particula fere quinque litteras continens abscissa est, ante vocabulum *χρήσιμον* nihil nisi fragmenta primae manus scripturae inveniuntur, inter quae litteras *τοις . . κ . . ηγ. ρο . .* et post *τοις* hastulam obliquam dignovimus. itaque in chartula et *τήματα* additum et ex frustulis inter *τοις* et *γ* conspicuis $\overset{ε}{τ}$ *καλ*^{ῶς} restitutum est, quamquam hastula primo loco servata pars litterae *τ* esse non potest. Seguerius *τε* recepit et pro proximis *κατηγορικῶς λεγομένοις* posuit, quod spatium longe excedit. at illa hastula litterae *μ* fuisse videtur, quare satis certe supplemus *τοῖς μ⟨ὲν⟩ κ⟨ατ⟩ηγ⟨ό⟩ρο⟨ις⟩*.

quorum magnus numerus est. librarius enim non solum usitatis signis certa quaedam vocabula[1] et exitus verborum[2] sed etiam multa vocabula primis eorum litteris significavit[3]. elisionem librarius, quamquam pluribus apostrophis usus est quam editiones exhibent, tamen plurimis locis neglexit, id quod ipse videbis, cum in hac re recensio nostra codicem accurate sequatur. contra ab eo discedit in adponendo iota muto et in spirituum accentuumve notis addendis, quippe quas scriba saepe aut omiserit aut perperam posuerit[4].

Ars, quam edimus, tota ab uno librario exarata est, sed eodem atramento, quo quaedam renovata et in chartula scripta esse memoravimus, pauca et pusilla menda primae manus correcta sunt. quae cum p. 16 14 *ἀνκάζει*, p. 49 2 *ἐγυτάτω* scripsisset, super litteram *ν* prioris verbi hamulus cum duobus punctis, quo *αγ* significaretur, et super

---

[1] Commemoretur rara nota adverbii *ὁμοίως* post verba p. 50 7 *ποτὲ μὲν* posita, cuius imago in Walzii *Epistula critica ad Boissonadium* tab. sub. num. 3 multo melius expressa est quam in Seguerii editione. circulus est, per quem a laeva ad dextram obliqua percurrit hastula, cuius parti superiori hamulum efficienti ab utroque latere punctum adpositum est. Seguerio hanc notam verbis *συνεχτικόν ἐστιν* interpretato Spengelius veram eius significationem a Walzio repertam esse monuit. praeterea adnotandum est pro praepositionibus *ἀπὸ* et *ἐκ*, nisi litteris exprimuntur, idem signum adhiberi. itaque utra praepositio ponenda sit, saepe dubitari potest neque raro a Seguerio discrepantes alteram certis de causis praetulimus.

[2] Pauca exempla proponere liceat ac prima quidem illa signa syllabas *τερ* et *τατ* comparativi et superlativi denotantia. quae cum inter se simillima sint, Seguerius p. 49 10 *εὐρυθμότερα* pro superlativo dedit et, cum post haec signa terminationes nulla nota indicentur, falso scripsit p. 18 16 *ἐπακτικωτάτη*, p. 25 31 *παραβολωτέρως*, quamquam utrobique accentus litterae *ω* superscriptus est, qua re *ἐπακτικώτατον* et *παραβολώτερον* legendum esse patet. accentu etiam p. 44 7 pro dativo *τροπικῇ* Segueriano scribendum esse *τροπικὴ* demonstratur, nam ligatura, quae pro syllaba *ικ* usurpatur, non circumflexum sed acutum fert. syllaba *ως* noto compendio significatur, quod ubicunque adverbium pronominis *οὗτος* legitur, litteris *οὗτ* adnexum est, qua de causa *οὕτως* etiam ante consonas nobis edendum est.

[3] Cf. e. g. p. 37 11, 16 ubi *μάρτυρας* et *μαρτυρίας* ita breviata sunt, ut supra syllabam *μαρ* littera *τ* cum ligatura quadam poneretur, sed cum accentus tum articulus rectae lectionis indicia sunt, quibus neglectis Seguerius loco inferiore falso *τοὺς μάρτυρας* dedit. singuli casus adiectivi *ἕκαστος* plerumque litteris *ἑκ*, quibus ligatura adfixa et *α* superscriptum est, significantur ut p. 41 17; uno loco p. 36 16 modo *ἑκ̄* extat, e quo Seguerius haud recte *ἑκάτερον* effecit. Spengelius, qui verba *καὶ ἑκάτερον* intellegi non posse et verbis superioribus *ἁπλῶς μὲν εἰπεῖν* sententiam «ut singultim dicamus» opponi debere vidit, *καθ' ἕκαστον* legendum esse coniecit. quae coniectura codicis Par. lectione recte explicata egregie confirmatur.

[4] Persaepe bisyllaba enclitica, quae dicimus, accentus habent, qui proximis verbis tribuendi sunt. pro coniunctione *μηδὲ* haud raro *μὴ δὲ* et p. 26 9 pro adiectivo *μηδεμίαν μὴ δὲ μίαν* positum est. nonnullae denique syllabae, quibus circumflexus debetur, acuto aut gravi instructae sunt ut p. 2 4 *μίσος*, p. 33 9 *διπλή*, p. 39 2 *διπλά*.

posterioris litteram γ alterum γ additum est. alios errores prima manus ipsa emendavit, ut p. 10_{15} verbo *ἐπαγγέλον* alterum λ superposuit et p. 6_{16}, ubi post *πάντων* primo *συγκειμένων* scripserat, compendium syllabae *ων* et accentum lineola per ea transducta delevit et compendium syllabae *ον* cum suo accentu substituit. p. 44_{14} *ἀντεστραμμένη* (superscr. *απ*) legitur[1] neque syllaba *ἀντ* ullo signo irrita facta est. itaque dubitamus, an in exemplari codicis Par. iam participium *ἀπεστραμμένη* in *ἀντεστραμμένη* corruptum[2] sed genuina syllaba *απ* superscripta syllabaque *ἀντ* punctis suppositis extincta sit, tum a scriba codicis Par., qui illa puncta neglexerit, utraque lectio recepta sit.

Nonnullis mendorum, quibus P (= codex Par. 1874) laborat, editor primus iam medelam adhibuit, sed idem saepe integra verba in peius mutavit. Spengelius autem et haec nova vitia removit et de suo largam copiam emendationum prodidit. rarius C. L. Kaysero contigit, ut locos, quos tractavit[3], sanaret, nam in magno numero coniecturarum pleraeque aut falsae aut inanes sunt. optime sine dubio de libello meritus est Christophorus Eberhardus Finckh[4], qui plus sexaginta locis lucem adtulit modo ingeniosa coniectura modo comparatis aliis scriptis rhetoricis, in quibus eadem atque in libello nobis edendo traduntur. atque hac potissimum via, quam vir Graecarum de rhetorica litterarum sane scientissimus aperuit, nobis incedendum esse intelleximus, ut non solum verba in P corruptissima emendaremus sed etiam fata libelli usque ad auctorem adhuc incognitum persequeremur. ubi primum in locos, qui cum libello consentiunt, diligentius inquisivimus, nobis miseram epitomen

---

[1] Seguerius *ἀνατετραμμένη* scripsit neque quicquam adnotavit.

[2] Participium *ἀντεστραμμένη* falsum esse patet. neque enim medium verbi *ἀντιστρέφειν* cum accusativo rei coniungi solet, sed medium verbi *ἀποστρέφειν* saepe obiectum regit. accedit quod alii, qui de adfectibus agunt, pariter atque Alexander in illa adfectus definitione § 222 quasdam res *ἀπεστράφθαι τὸν λόγον* dicunt, ut Chrysippus apud Galenum *De Plac. Hippocratis et Plat.* IV 339, 2 ed. Iw. Muell. *ἄλογον . . . ἀπεστραμμένον τὸν λόγον* et Galenus ipse ib. saepius.

[3] Nonnullas coniecturas commentario Cornificii a se a. 1854 editi inseruit, plures protulit, cum Sp I recenseret *Jahrbb. f. Phil.* LXX 1854 p. 295 et anno insequente *Münchener Gelehrte Anz.* XLI 1855 p. 1—13, ubi de Finckhii dissertatione iudicium tulit.

[4] Paucos locos hic ipse quoque Sp I recensens *Jahrbb. f. Phil.* LXIX 1853 p. 645 tetigit, permultos in programmate Gymnasii Carolini Heilbronnensis 1854, cui dissertatio inest *De incerti auctoris artis rhetoricae post Seguerium a Leonardo Spengelio editae locis aliquot emendandis.*

plenioris artis in P servari et alios rhetores huius ipsius artis excerpta, alios excerpta illius epitomes exhibere cognovimus. discernimus igitur rhetores, qui Epitoma (E), et rhetores, qui Arte usi sunt. ac primum quidem illos enumeremus.

RHETORES EPITOMA USI

I. Prolegomena in Hermogenis *περὶ στάσεων* librum W VII 1—34[1].

In hoc libello post disputationem arte dispositam inde a p. 20_{25} varia variorum librorum excerpta adnectuntur per saturam, atque dubitari potest, num idem, qui p. $1—20_{25}$ scripsit, hanc appendicem confecerit[2]. leguntur autem omnia ita coniuncta in codicibus Par. 1983 et 2977, eiusdem archetypi apographis, quorum ille priore parte saeculi XI exaratus est[3]. Prolegomena ergo anno millesimo antiquiora esse constat. quibus excerpta Epitomes contineri hisce locis comparatis adparet[4]:

W VII	E	W VII	E
26_{13-21} =	§ 1[5]	26_{23-24} =	§ 105
26_{21-22} =	§ 143[6]	26_{25-27} =	§ 99

[1] Littera W cum numero Romano significamus Walzii Rhetorum Graecorum volumina.

[2] Cf. Valentinum Rose *Aristoteles Pseudepigraphus* p. 141.

[3] Cf. quae de his codicibus Abrahamus enarravit *Jahrbb. f. Phil.* CXXXI 1885 p. 759.

[4] Nullo alio loco Prolegomenorum excerpta Epitomes deprehendimus, sed dubitamus, an Epitome ad conscribenda praecepta W VII 22 $_{4-12}$ adhibita sit, quippe quibus idem praescribatur atque E §§ 91, 93. secundum E 18 $_{12}$ igitur corrigas W VII 22 $_5$ *ἄλλοις* in *ἀλλήλοις*. corrigas etiam ib. v. 7 *κατὰ δὲ* in *καὶ*, v. 11 *πάλιν* in *μάλιστα*.

[5] Enuntiatum W VII 26 $_{15}$ *σημειωτέον — λέγειν* is qui Epitomes excerpta Prolegomenis inseruit, addidit, quo explicaretur, quid inter auctorem libri excerpti et alios rhetores differret.

[6] Mireris verba W VII 26 $_{21}$ *ἐπιχείρημά ἐστι λόγος κατασκευαστικὸς τοῦ προτεθέντος ζητήματος* haud diversa esse nobis dici a verbis E 27 $_9$ *πίστις . . ἐστὶ λόγος κατασκευαστικὸς τοῦ προκειμένου ζητήματος*. at illa Prolegomenorum verba pro definitione epichirematis non sunt habenda; nam epichirema, quo aut certa quaedam forma syllogismi rhetorici aut singulare argumentum, quod cum aliis ad probandam aliquam rem adhibeamus, significari solet, orationem esse, qua id de quo quaestio est, probemus, sanus homo dicere nequit. itaque nobis persuasum est Epitomes definitionem *πίστεως*, in qua tertia pars orationis civilis intellegitur, in Prolegomena transscriptam, sed participium *προκειμένου* in *προτεθέντος* et nomen *πίστις* in *ἐπιχείρημα* mutatum esse. facile enim fieri potuit, ut *ἐπιχείρημα* loco *πίστεως* poneretur, quoniam saepe vocabulum *πίστις* quoque notionem singularis argumenti habet et idem atque *ἐπιχείρημα* valet, unde etiam in E 32 $_6$ interpolatio nata est.

W VII	E	W VII	E
26 $_{29-30}$ =	§ 144	27 $_{10-12}$ =	§ 214
26 $_{30}$—27 $_{5}$ =	§ 145	27 $_{12-14}$ =	§ 224
27 $_{5-7}$ =	§ 148	27 $_{15-16}$ =	§ 229
27 $_{7-10}$ =	§ 171	27 $_{16-18}$ =	§ 237

Quamquam Prolegomenorum loci, quos adtulimus, ex Epitomes codice exscripti sunt, qui plus duobus saeculis antiquior erat quam P, tamen eis paucas emendationes lucramur. duo apertissima menda eis cum P communia sunt: W VI 27 $_{1}$ = E 27 $_{24}$ vocabulum *συμβουλαί*, pro quo Seguerius ex alio loco E 37 $_{8}$ *συμβόλαια* restituit, et W VII 27 $_{17}$ = E 47 $_{12}$ prorsus ineptum *πρόσωπον*, quod coniectura corrigendum est. plura nova vitia in eis orta sunt, quibus P contaminatus non est[1]. sex tantum locis rectiores lectiones quam P exhibent. cf. E 1 $_{5}$, 19 $_{12}$, 27 $_{14.\ 23,\ 24}$.

II. Theonis Scholiasta (TS).

Etsi exigua scholia in Theonis Progymnasmata aetatem tulerunt[2], sive non plura eis adscripta erant, sive multa perierunt, extant interpretationes Theonis capitis IV, quo de narratione agitur, et inter eas complura de narratione aperta et credibili reddenda praecepta, quae ex Epitoma fluxisse manifestum est.

TS, W I	E
261 $_{4-10}$ =	§ 82
261 $_{26-30}$ =	§§ 89, 90
261 $_{30}$—262 $_{1}$ =	§ 95
262 $_{2-5}$ =	§§ 97, 98

quanto integriora Epitomes verba in his excerptis quam in P serventur, uno exemplo illustrare liceat:

TS W I 261 $_{7-10}$ =	E 17 $_{6}$ in P
Καὶ τὸ δὶς τὰ αὐτά = Theo Sp II 80 $_{25}$] *τὸ τοιοῦτον*	*καὶ τὸ τῶν αὐτῶν πολλάκις μεμνῆσθαι· μακρὸν γὰρ τοῦτο*

[1] Collatis lectionibus codicis P hi loci Prolegomenorum emendantur: W VII 26 $_{28}$ *μείωσις* ⟨*εὐφημία*⟩, $_{24}$ *κρεῖττον* ⟨*ἢ χεῖρον*⟩, $_{27}$ *ποικίλλης*, 27 $_{2}$ ⟨*τοῦ*⟩ *ῥήτορος*, $_{3}$ *καὶ βεβαιῶσαι*, $_{6}$ *ὃς γάρ*, $_{8}$ *γενικώτατοι*, $_{9}$ *συστοιχία . . . παρεπόμενον*, $_{12}$ *ἐπιχείρησιν*. has corruptelas librariorum incuria natas esse putamus, alibi ut 26, $_{20}$ Epitomes verba ab excerptore ipso depravata esse videntur.

[2] Leguntur W I 257—262 et puriora in Finckhii editione Theonis Sophistae Progymnasmatum 1834 p. 144 sqq. huius editionis verba sub numeris editionis Walzianae, quippe quae sola singulos versus numeret, citabimus.

μακρὸν καὶ ὀχληρόν ἐστιν, εἰ μὴ ἄρα ταῖς ἐργασίαις αὐτὸ μεταχειρισόμεθα καὶ νῦν μὲν ὡς ἐπιδεικνύοντες[1] *λέγομεν, νῦν δὲ ὡς ἀνακεφαλαιούμενοι ἢ ἐπαναλαμβάνοντες.*	*καὶ ὀχληρόν, εἰ μὴ ἄρα ταῖς ἐργασίαις αὐτὸ διαχειρισόμεθα καὶ νῦν μὲν ὡς γιγνώσκοντες λέγομεν, αὖθις δὲ ὡς συγκεφαλαιούμενοι, ἑτέρωθι δὲ ὡς ἀναμιμνήσκοντες.*

eo quod Theo bis eadem dici vetuit, TS commotus esse videtur, ut tria membra enuntiati, quae in E verbis *νῦν μὲν*, *αὖθις δὲ*, *ἑτέρωθι δὲ* inchoantur, in duo contraheret et pro ultimo *ἢ ἐπαναλαμβάνοντες* atque pro particulis *αὖθις δὲ* particulas *νῦν δὲ* scriberet. praeterea initium enuntiati a TS leniter mutatum esse patet, quo Theonis verbis melius accomodaretur[2]. reliquis tribus locis, ubi TS cum P discrepat, illum genuinam lectionem exhibere certum est. nam verba *μεταχειρισόμεθα* et *ἀνακεφαλαιούμενοι* rhetoribus usitatiora sunt quam composita *διαχειρισόμεθα* et *συγκεφαλαιούμενοι* atque etiam hanc utramque lectionem codicis P corruptam esse alio Epitomes excerpto confirmatur[3]. quin participium *γιγνώσκοντες* ipsum quoque falsum sit, dubitari nequit, quia verbo recapitulandi verbum opponi desideratur, quod notionem demonstrandi habeat. participium *ἐπιδεικνύοντες* igitur optime ad illum locum quadrat. iam a TS codice P multo meliorem Epitomes codicem usurpatum esse perspicuum est; quot emendationes Epitomes eius excerptis debeantur, recensione nostra doceberis.

III. Aphthonii Interpretes (AJ).

In Ioannis Siceliotae Doxopatri in Aphthonium Homiliis saepius *οἱ παλαιοὶ* vel *οἱ παλαιότεροι τῶν ἐξηγητῶν* laudantur, qui nobis litteris AJ significentur. ad quaestionem nostram pertinent ea, quae ex illorum scholiis in Homiliarum caput II recepta sunt. Doxopater enim ut quibus modis perspicuitas brevitas credibilitas efficiantur exponat, de singulis virtutibus narrationis primum ex Hermogenis

---

[1] *ἐπιδεικνύοντες* ex editione Walziana recepimus, cum participium *ἀποδεικνύντες*, quod editio Finckhiana exhibet, minus rectum esse videatur.

[2] Consilio a TS etiam initia aliorum excerptorum W I 261 4, 26, 262 2 mutata et 261 30 pro enumeratione *μορίων διηγήσεως* (E 18 10) verba *τὰ ἐξ περιστατικά* posita sunt.

[3] W II 219 17 *μεταχειρισόμεθα* et *κεφαλαιούμενοι* legitur. genuinum verbum *ἀνακεφ.* ergo post TSae aetatem syllabas *ανα* amisisse, in P autem vel eius archetypo falso syllabam *συγ* accepisse sumendum est.

de ideis libro pauca excerpere[1], tum ea, quae in commentario vetustiorum Aphthonii Interpretum ad hanc rem spectabant[2], postremo ea, quae Geometra in Aphthonii interpretatione de eadem re dixerat[3], ad verbum describere solet. quibus e libris Geometra hanc interpretationis suae partem congesserit, infra nobis quaerendum est. AJ toti ex Epitoma pendent.

AJ W II		E
219 $_{4}$—220 $_{8}$	=	§§ 80—88
228 $_{14}$—229 $_{8}$	=	§§ 64—77
234 $_{8—29}$	=	§§ 89—98

AJ permagnas Epitomes partes in scholia sua transscripsisse vides, sed eos consilio quaedam omisisse pauca addidisse alia mutasse cognosces. desunt apud AJ complura praecepta Epitomes tota: E §§ 72, 74, 76, 87, 96 et particulae aliorum[4]: verba E 14 $_{19}$ *καὶ . . λέγοντι*, 15 $_{3}$ *καὶ* — $_{4}$ *σιωπώμενα*, 15 $_{8}$ *ὃ* — $_{9}$ *χρήσιμον*, 17 $_{4}$ *οἰκονομίας* — $_{5}$ *χρείαν*. additamenta tribus locis deprehenduntur: W II 234 $_{8}$ post sex *μόρια διηγήσεως* E 18 $_{11}$ enumerata septimum *ὄργανον* nominatur et exempla singulorum adponuntur. W II 229 $_{3—4}$ praecepto vitandae *περιφράσεως* (= E § 73) hoc simile adnectitur *καὶ ἐὰν μὴ λόγον ἀντὶ ὀνόματος ποιῇς, οἷον ἀντὶ τοῦ ἀπέθανε τὸν βίον ἐξέλιπε.* W II 219 $_{28}$ post *ὀνοματοποιΐας* exemplum (= E 17 $_{17}$) alterum adfertur *καὶ τὸ κελαρύζει καὶ τὰ ὅμοια.* fortasse dices haec omnia Epitomae propria fuisse, in P autem excidisse. at TS verbis W I 261 $_{30}$ *μόρια δὲ διηγήσεώς ἐστι τὰ ἓξ περιστατικά* (cf. adn. VII $_{2}$) se non septem *μόρια διηγήσεως* in Epitoma legisse testatur[5], unde AJ *ὄργανον* et exempla septem *μορίων* Epitomes enumerationi *μορίων* adiecisse efficitur. praeceptum W II 229 $_{3}$, ne sententia pro vocabulo adhibeatur, ab Epitoma alienum esse ex eo concludimus, quod praeceptum vitandae *περιφράσεως* inter ea brevitatis praecepta est, quae Alexandro Numenio attribuenda sunt. quem non *περίφρασιν* atque etiam insuper sententiae pro vocabulo usum vetuisse apertum est, quoniam ei

---

[1] W II 216 $_{26}$—219 $_{2}$; 227 $_{15}$—228 $_{11}$; 234 $_{1}$ sq.

[2] W II 219 $_{2}$—220 $_{6}$; 228 $_{14}$—229 $_{8}$; 234 $_{3—29}$.

[3] W II 220 $_{6}$—226 $_{23}$; 229 $_{9}$—233 $_{29}$; 235 $_{1}$—236 $_{5}$.

[4] AJ alterum synonymiae exemplum E 15 $_{6}$ *ἢ ξίφος καὶ μάχαιρα* non praetermisisse, sed interpolatorem id ex inferioribus verbis E 15 $_{9}$ archetypo codicis P inseruisse Kayserus recte coniecit *Münchener Gel. Anz.* 1855 p. 6.

[5] Cf. Finckhii Programma l. p. 10.

sententiae pro vocabulo usus species figurae *περιφράσεως* esse videbatur[1]. itaque praeceptum de quo agitur AJ non ab Epitoma sed a Theonis Progymnasmatis repetisse sumendi sunt, in quibus Sp II 84_{10} legitur *παρατηρητέον . . . μήτε λόγον ἀντὶ ὀνόματος ποιεῖν, οἷον ἀντὶ τοῦ ἀπέθανεν ἐξέλιπε τὸν βίον*. AJ ab eodem Theone, qui Sp II 81_{13} post alia exempla *τῶν πεποιημένων* verba *κελαρύζειν καὶ τὰ τοιαῦτα* exhibet, verba W II 219_{28} mutuatos praecepto Epitomes adfixisse probabile est[2]. ter igitur AJ excerptis Epitomes aliena additamenta immiscuisse concedendum est. quinquies AJ verba Epitomes consilio mutare videmus: initium brevitatis praeceptorum[3] E § 63 (= W II 228_{14}) et verba enuntiati E 17_{4} (= W II 219_{14}), cuius priorem partem resecuerunt, in aliam formam redegerunt. W II 229_{6} e Theonis Progymnasmatis Sp II 84_{12}, unde etiam proximum enuntiatum W II 229_{8} exscripserunt, verbum *συνυπακούεται* in locum genuini *λείπει* substituerunt[4]. W II 219_{10}sqq. duos quattuor numerorum, quos P exhibet E 16_{20}, 17 $_{2, 10, 11}$, omiserunt et pro ceteris, quos falsos esse putasse videntur, alios posuerunt. W II 228_{17} denique verba, quae P exhibet E 14_{17} *μήτε μακρὰ — διηγούμενοι*, cum his commutaverunt *μήτε εἰς τὰ παρέλκοντα χρόνον καταναλώσῃς, ὡς οἱ μετὰ τὰ πράγματα εἰωθότες διηγεῖσθαι*. quibus verbis quin locus Theonis Sp II 83_{21} *μήτε εἰς τὰ παρέλκοντα τὸν λόγον καταναλίσκωμεν, ὡς οἱ μετὰ τὰ πράγματα εἰωθότες διηγεῖσθαι* subsit, haud dubitamus, cum apud AJ eandem corruptelam reperiamus, qua ille Theonis locus laborat. cum Lederlino enim *⟨τὰ⟩ μετὰ τὰ πράγματα* scribendum esse collato l. Theonis Sp II 108_{23} persuasum habemus.

Reliquas AJum et Epitomes verborum, qualia in P leguntur, discrepantias, quas non mutationibus AJum natas esse putemus, in apparatu critico adnotabimus. pauca de pretio harum variarum lectionum dicenda sunt. AJ deteriore Epitomes codice usos esse quam TSam in propatulo est, AJbus enim complures corruptelae

---

[1] Cf. Alexandrum de figuris Sp III 32_{14} sqq.

[2] Cum AJ Theone usos esse constet, dubitari nequit, quin eum iam scholiis suis instructum legerint et a TS W I 260_{22} finem perspicuitatis repetiverint, quem W II 220_{8} excerptis Epitomes adiunxerunt.

[3] Sub initium perspicuitatis et credibilitatis praeceptorum AJ particulam *δὲ* Epitomes omiserunt.

[4] Verbum *λείπει*, quod E 15_{18} codice P traditur, ab Alexandro in explicatione *ἐλλείψεως* adhibitum esse comprobatur locis Sp III 33_{14}; 167_{5}.

cum P communes sunt, quibus TS vacat. cf. e. g. E 17 $_8$ participium *γιγνώσκοντες*, quod falsum esse demonstravimus. E 18 $_8$ et AJ et P particulam *ἄν*, quam TS solus tradidit, omiserunt. aliis autem locis AJ una cum TS genuinam lectionem pro depravata codicis P servaverunt, ut E 17 $_8$ *μεταχειρισόμεθα* (cf. adn. VII $_8$) et E 19 $_1$ *καὶ τὸ περὶ αὐτοῦ*. his exemplis satis elucet Epitomes codicem, quem AJ ante oculos habuerunt, meliorem quam codicem P fuisse. quamquam igitur in Epitomes excerpta, quae AJ fecerunt, permultae corruptelae irrepserunt, tamen eis haud paucae codicis P corruptelae sanantur.

Praeter tria magna Epitomes excerpta, quae Doxopater e vetustiorum Interpretum scholiis exscripta esse expressis verbis dicit, aliud Epitomes excerptum Doxopatri Homiliis W II 198 $_{4-9}$ continetur[1]. cui cum Doxopater verba *τινὲς δὲ καὶ τοῦτο λέγουσιν* praemittat, pronomine *τινὲς* hic AJ significari nobis persuasum est.

Restat ut qua aetate AJ et TS Epitomen compilaverint quaeramus. ex eo, quod Doxopater, quem Bursianus priore parte saeculi XI vixisse evidentissima coniectura statuit[2], AJ vetustiores Interpretes nominare et ante Geometram ponere solet, AJ hunc hominem, qui posteriori dimidio saeculi X adsignandus est, aetate praecessisse concludimus. AJ autem Theonis Scholiasta, cuius scholia in manibus tenebant (cf. adn. IX $_2$), inferiores sunt et aliquantum spatium temporis inter illos et Theonis Scholiastam interfuisse simillimum est veri, cum Theonis Scholiasta Epitomen multo puriorem et integriorem quam AJ legerit. compluribus ergo saeculis ante annum millesimum Epitome confecta esse videtur.

RHETORES IPSA ARTE USI

I. Scholiasta Hermogenis de inventione librorum.

Quattuor huius operis Hermogeniani commentarii adhuc innotuerunt:

1. Commentarius in Walzii tomo VII editus, qui e Scholiis, quae Prolegomenis carebant, et tribus diversis Prolegomenis constat.

---

[1] Haec verba, quae ipsa W II 13 $_{2-5}$ excerpta sunt, ex E § 47 sumpta esse Finckhius iam vidit et ea ad lacunam codicis P explendam adhibuit. cf. eius Programma l. p. 7.

[2] In Menandri editione l. p. 13.

quattuor igitur huius commentarii partes nobis distinguendae sunt, quae nominabuntur anonyma Scholia (W VII 697—860) anonyma Prolegomena I (W VII 52—54) II (p. 55—74$_{5}$) III (p. 74$_{6}$—76).

2. Commentarius, cuius prima pars sola publicata est W VI 507—543. cum Walzius hunc falso Georgio Diaeretae adscripserit[1], nobis commentarius Pseudogeorgianus audiat.
3. Maximi Planudae commentarius W V 363—436[2].
4. Doxopatri commentarius, qui inscribitur *εἰς τὸ περὶ εὑρέσεως ἑρμογένους βιβλίον ἐξήγησις*[3].

De tribus eorum operum, quae enumeravimus, nobis hic fusius disserendum est, quippe quibus permulta Artis excerpta contineantur,

---

[1] Walzius VI 505 in codice Vaticano 105, qui commentarium purissimum exhibet, eum titulum prae se ferre *Προλεγόμενα εἰς τὸ περὶ εὑρέσεως Ἑρμογένους τοῦ Διαιρέτου Γεωργίου*, sed in inferiore nota a scriba Doxopatrum auctorem commentarii nominari contendit. illum titulum in codice Vat. omnino non inveniri, sed nomen Ioannis Doxopatri etiam totius operis initio praescriptum esse testes nobis sunt Ericus Bethe et Ericus Pernice, qui codicem Vat. summa benignitate in usum nostrum adierunt. Walzius ita errasse videtur, ut codicem Vat. pro Vindobonensi XV (apud Nesselium IV p. 14) appellaret, in quo titulum illum se ipsum legisse dicit VI p. XII (cf. VI 507 adn. 1). cum ibidem p. XIV codicem Vindobonensem e codice Laurentiano LVII 5 descriptum esse statuerit, unde nomen Georgiae Diaeretae in codicis Vindobonensis titulum fluxerit liquet. in codice enim Laurentiano sub finem tituli scholiorum legitur (W VI 505) *εἰσὶ δὲ ἢ τοῦ Διαιρέτου Γεωργίου ἢ τοῦ λεγομένου ἀνωνύμου Γεωργίου καὶ ἀδεσπότου* (l. ἢ ἀδέσποτα). itaque codicum auctoritate nixi commentarium Georgio Diaeretae adscribere non possumus.

[2] Planudae commentarius epitome commentarii primo loco adlati est. ad hanc rem illustrandam Planudae Prolegomenorum partes et locos, unde descriptae sint, enumerare liceat: W V 363 = W VII 55$_{3}$; 364$_{6}$ = 698$_{11}$; 364$_{7}$ = 698$_{16}$; 364$_{16}$ = 699$_{10}$; 364$_{27}$ = 52$_{16}$; 365$_{1}$ = 54$_{2}$; 365$_{2}$ = 52$_{19}$; 365$_{3}$ = 53$_{6}$; 365$_{8}$ = 65$_{14}$; 365$_{9}$ = 70$_{15}$; 365$_{19}$ = 52$_{8}$; 365$_{22}$ = 64$_{10}$; 366$_{9}$ = 63$_{17}$; 366$_{21}$ = 52$_{6}$; 366$_{23}$ = 68$_{7}$; 366$_{24}$ = 697$_{13}$; 366$_{25}$ = 56$_{21}$; 367$_{10}$ = 73$_{22}$; 367$_{21}$ = 72$_{22}$; 368$_{2}$ = 72$_{1}$; 368$_{16}$ = 71$_{21}$; 368$_{21}$ = 57$_{8}$; 368$_{25}$ = 73$_{6}$; 369$_{1}$ = 66$_{26}$. sub finem W V 369$_{19}$ definitio inventionis aliunde sumpta adnectitur, quae W VI 510$_{24}$, 579$_{1}$ reperitur. Planudam nulla Artis excerpta exhibere nisi quae ex vetustiore commentario suo receperit consentaneum est, sed saepe nobis ad commentarium Planudae relegandum erit, cum Walzius in tomo VII multas partes, quae epitomae Planudeae insunt, non iterum expresserit.

[3] Titulus supra adscriptus Doxopatri commentario praefixus est in codice Par. 2922, qui ut Parisiis Gottingam mitteretur, impetravimus. Walzii enim verbis VI 506 ad opinionem adducti eramus hunc commentarium non diversum esse a Pseudogeorgiano, sed eum eundem esse vidimus, cuius alterum exemplar codex Baroccianus 175, ex quo Cramerus *Anecd. Gr. Oxon.* IV p. 155 quaedam excerpta edidit, tertium exemplar codex Vindobonensis LXXIII (apud Nesselium IV p. 42) exhibet. commentarium nullius pretii esse cognovimus, cum codicem Par. diligentius excuteremus. Doxopater hic plerumque suo marte interpretari temptat neque pari modo atque in commentario Hermogenis de ideis libri bonas interpretationes vetustiores compilavit. inter paucas partes, quas eum ex anonymis Scholiis sumpsisse deprehendimus, unum excerptum Artis est, de quo infra dicetur.

de anonymis Scholiis, de anonymis Prolegomenis I, de commentario Pseudogeorgiano. ac primum quidem duo exempla proponere libet, quibus libellum nobis edendum, quem Epitomen nominamus, re vera epitomen amplioris Artis esse eiusque excerpta in tribus libris laudatis extare luce clarius adparet. in anonymis Scholiis W VII 762 sqq. eidem atque in E §§ 157—159 tres fines enthymematis enumerantur, quos duo alii fines[1] et multa ex eis, quae Alexander Numenius et Neocles et Harpocratio[2] de enthymemate docuerunt, sequuntur. haec omnia non e libris trium rhetorum ipsis a scholiasta sumpta esse sed uni Arti deberi, ex qua libellus nobis edendus quoque derivatus sit, tribus illis finibus confirmatur, qui et in anonymis Scholiis et in Epitoma leguntur eodemque utrobique ordine coniuncti sunt. in anonymis Prolegomenis I W VII 53 7—22 et apud Pseudogeorgium W VI 512 adn. 44 Apollodoreorum et Alexandri eis adversati *περὶ τάξεως προοιμίου* praecepta inveniuntur, quae in Epitoma desiderantur. neque enim solum ex eo, quod Apollodoreorum et Alexandri *περὶ τάξεως διηγήσεως* praecepta E §§ 124—131 adferuntur, eorundem *περὶ τάξεως προοιμίου* praecepta supra non defuisse concludendum est, sed etiam verbis E § 201 ad haec praecepta delegamur. librariorum autem culpa cuncta haec praecepta periisse credenda non sunt. dubitari igitur nequit, quin libellus nobis edendus opus epitomatoris sit, qui Artis vetustioris, quam in epitomen redegit, *περὶ τάξεως προοιμίου* praecepta exciderit et infra omissionis suae oblitus locum Artis ad illa excisa respicientem retinuerit. quod cum anonyma Scholia, anonyma Prolegomena I, commentarium Pseudogeorgianum excerpta Artis, cuius Epitomen edimus, exhibere in propatulo sit, omnia excerpta congerenda sunt et quomodo in illos libros manaverint quaerendum est.

---

[1] In eo, quod post Neoclis finem enthymematis W VII 762 17—763 3 = E § 157 alter eiusdem rhetoris finis W VII 763 8—10 adfertur, offendendum non est. priore enim quid sit enthymema, posteriore quae sit eius forma definitur. simili ratione verba W VII 762 8—10 dicta sunt, quae infra Alexandro adscribentur. enuntiato enim priore *ἐνθύμημά ἐστι τὸ ἐν τῷ διανοήματι ἔχον τὴν δύναμιν καὶ τὴν σύστασιν* enthymematis natura explicatur, enuntiato inferiore *διάνοια γάρ ἐστί τις ἐκ* (l. *ἐν*) *μάχης λεγομένη ⟨ἢ⟩ ἐν ἀκολουθίας σχήματι* forma enthymematis exponitur.

[2] Harpocrationis nomen nonnisi ante tertium enthymematis finem W VII 763 5 = E § 159 fertur, sed eidem verba W VII 763 14—20 adscribenda sunt, nam epichirematis explicatio 763 15 adhibita Harpocrationis esse traditur W VII 752 5.

Incipiamus ab anonymis Prolegomenis I. ut quae Artis excerpta his insint enucleemus, tota Prolegomena dissolvi e re est.

Prima quidem pars ex Arte exscripta est.

W VII 52 $_{3-8}$ = E § 36

W VII 52 $_{8-11}$ = E §§ 24, 25.

W VII 52 $_{11-13}$ praeceptum de elocutione prooemii datur, quod breviatum E § 240 reperitur. W VII 52 $_{13-14}$ praeceptum de actione prooemii datur, cuius nullae reliquiae in Epitoma extant. tamen hoc quoque praeceptum in Arte extitisse inde colligimus, quod in ea de actione aliarum orationis partium post praecepta ad earum elocutionem spectantia pauca dicta erant (vide E §§ 137, 197).

Proxima particula W VII 52 $_{16-20}$[1] ipsa quoque Arti vindicanda est. nam verba W VII 52 $_{17}$ *κυρίως δὲ μὲν προοίμιον ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τὰ παρὰ τῶν κιθαρῳδῶν ἐν ἀρχῇ λεγόμενα*, modo additamentum resecueris[2], consentiunt cum eis, quae extant E 1 $_{13}$. fines *προοιμίου* et *τέλους τοῦ προοιμίου* W VII 52 $_{16}$ et $_{19}$ cum illis verbis arcte coniunctos ex eodem atque illa fonte fluxisse simillimum est veri, praesertim cum Artem plures prooemii fines quam unum in E § 5 receptum exhibuisse certum sit.

Particula W VII 52 $_{20}$—53 $_{5}$[3], quae secundum Hermogenis libri de Jnv. I verba Sp. II 177 $_{16}$ concepta esse videtur et in commentario Pseudogeorgiano W VI 519 $_{21}$ ad explicandum illum Hermogenis locum adhibetur[4], ab Arte prorsus aliena est.

[1] Haec particula et ea, quae sequitur W VII 52 $_{20}$—53 $_{5}$, reperitur W III 662 $_{14}$.

[2] Is qui sententiam W VII 52 $_{17}$ ex Artis etymologia prooemii, quae integrior E § 4 legitur, repetivit, verba *παρὰ* et *ἐν ἀρχῇ λεγόμενα* addidit, quod prooemium non *τὸ ἀνακρουμα τὸ πρὸ τῆς ᾠδῆς τῆς κιθάρας*, sicut auctor etymologiae voluit (cf. E 1 $_{14}$), sed citharoedi Dionysi invocationem fuisse putaret. eundem enim pari ratione longiorem nominis prooemii explicationem W VI 511 $_{22}$ = VII 56 $_{9}$, cui ipsi quoque etymologia Artis subest, scripsisse infra adparebit. ceterum ne Quint. quidem Inst. IV 1 $_{2}$ citharoedi prooemium praecentionem citharae esse existimavit.

[3] Prolegomenorum excerpto W III 662 $_{18-23}$ (cf. supra adn. 1) demonstratur W VII 53 $_{1}$ *εἰσι⟨ν οἱ⟩ κριταί* et 53 $_{2}$ *δι' ἐντολὴν* legendum esse.

[3] Hoc praeceptum non solum in Prolegomenis et apud Pseudogeorgium l. l. sed etiam in anonymis Scholiis W VII 702 $_{5}$ invenitur, ubique aliquo errore depravatum. genuinum autem restitui potest Hermogenis verbis Sp II 177 $_{22}$—182 collatis. e quibus cognoscitur sub voce *κατηγόρων* et accusatores et eos, qui accusatores adiuvent, sub voce *ἀπολογουμένων* eos, qui pro reis loquantur, sub voce *ἐχόντων τὰ πράγματα* reos ipsos intellegendos esse. praeceptum igitur ita fere renovandum est: *τὰ προοίμια γράφεται ἀπὸ τῶν δικαζόντων, οἵτινές εἰσιν οἱ κριταί, ἀπὸ τῶν κατηγόρων, οἵτινές εἰσιν οἱ διώκοντες καὶ οἱ δι' ἐντολὴν λαλοῦντες, ἀπὸ τῶν ἀπολογουμένων, οἵτινές εἰσιν οἱ ἐντολεῖς, οἱ βοηθοῦντες τοῖς φεύγουσιν, ἀπὸ τῶν ἐχόντων τὰ πράγματα καὶ τὰ ἐγκλήματα, οἵτινές εἰσιν οἱ φεύγοντες.*

Partem W VII 53_{7-22}, qua *περὶ τάξεως προοιμίου* agitur, ex Arte sumptam esse supra demonstravimus.

Quae sequuntur W VII 53_{22}—54_{8}, aliunde repetita sunt. prooemii enim exemplum p. 53_{22} et prooemii finis atque etymologia p. 54_{1} enumeratione quinque partium orationis W IV 12_{19}—13_{19} continentur, quam in Arte, qua quattuor orationis partes esse docetur, non extitisse certum est.

Extrema pars W VII 54_{8-21} de topis prooemii est[1]. num priora de hac re verba p. 54_{8-16}[2] Arti debeantur, diiudicare non audemus, posteriora p. 54_{16-22} ex Arte fluxisse patet, nam eadem pleniora E § 7 reperiuntur[3].

Venimus ad anonyma Scholia. quorum caput, quo enthymema tractatur, Artis excerptis refertum esse iam vidimus. ex eadem Arte in proximum Scholiorum caput Harpocrationis de epenthymemate verba (W VII 769 adn. 6, V 410_{11}—411_{18}) transcripta sunt. quae in Arte extiterint necesse est, cum Harpocrationis de elocutione epenthymematis praeceptum E § 250 dari non potuisset, nisi antea quaedam de natura epenthymematis dicta essent. item naturam epichirematis in Arte explicatam fuisse concluditur, cuius saepius in Epitoma mentio fiat et de cuius elocutione Harpocratio E § 248 praescribat. itaque anonymorum Scholiorum capitis, quod de epichiremate est, partem *β* (W VII 752_{5-7}, V 395_{12}—397_{8}) Arti adsignamus. hanc partem inde originem ducere multis indiciis confirmatur. collectio epichirematis finium simillima est collectioni enthymematis finium (W VII 762) et ultimum praeceptum partis W V 396_{13}, quo epichirematis solutio exponitur, respondet Epitomes de solutione paradigmatis praecepto (E § 187). porro Harpocrationis, Neoclis, Alexandri mentio fit. Zenonis denique paradigmatis finis adfertur, qui E § 156 quoque invenitur. tria igitur capita Scholiorum tomi tertii magnis Artis excerptis referta videmus.

In uno capite secundi tomi Scholiorum, quod de narratione

---

[1] Lege W VII 54_{8} *ἀπὸ τριῶν τόπων* secundum W II 546_{9}.

[2] Haec verba vehementer confusa esse Doxopatri verbis W II 546_{8-25} comparatis adparet, quae ex eodem fonte atque illa Prolegomenorum verba derivata sunt.

[3] Idem locus scholio Demosthenis ad or. 54 § 1 subest, sed in medio relinquendum est, utrum scholiasta ipsa Arte an vetustiore libro usus sit, ex quo illa de topis prooemii praecepta in Artem transscripta sint. scholiastam non ex Epitoma pendere certum est, cum rectum ordinem praeceptorum et exempla uberiora quam Epitome exhibeat.

est, particulam esse vidimus, quae ex Artis excerptis constat, W VII 729_{27}—730_{6}[1].

W VII 729_{28-32} = E § 52
W VII 729_{32}—730_{2} = E §§ 119, 120
W VII 730_{2-6} = E §§ 127, 128

finis narrationis, quo haec pars inchoatur W VII 729_{27} *διήγησίς ἐστιν ἔκθεσις πραγμάτων γεγονότων ἢ ὡς γεγονότων* Epitomae deest neque cum eis, quae in Scholiis eum sequuntur, congruit; nam fini *γενικῆς διηγήσεως*, secundum quem narrationi etiam enuntiatio praesentium et futurarum rerum subest, repugnat. tamen eum cum ceteris ex Arte depromptum putamus, cum eum ad alium locum Artis bene quadrare demonstrari possit.

In primo denique tomo Scholiorum, qui Hermogenis de prooemio praeceptis interpretationi est, tria excerpta Artis deprehenduntur, quae in anonyma Prolegomena I quoque recepta sunt. initium enim Scholiorum W VII 697_{5-9} Prolegomenorum particulae W VII 52_{16-20} prorsus par est, sed adverbium *κυρίως* p. 52_{17}, quod rectum esse loco E 1_{18} confirmatur, p. 697_{6} in *κοινῶς* corruptum est. Artis de actione prooemii praeceptum et W VII 715_{7} et W VII 52_{18}, Artis de elocutione prooemii praeceptum et W VII 716_{7}, V 382_{8} et W VII 52_{11} adfertur. quod Scholia plenius quam Prolegomena exhibent, sed in illis verba huius praecepti, qualia in Arte erant, magis quam in Prolegomenis mutata[2] et ordinem, quem duo extrema praecepta in Arte sequebantur et in Prolegomenis servant[3], perturbatum esse constat. Artis ergo excerpta, quae Scholiis et Prolegomenis communia sunt, non ex altero opere in alterum transscripta sunt. neque autem utriusque operis auctor haec ab Arte ipsa repetisse credendus est, quia in Arte tria enuntiata W VII 52_{16-20} = 697_{5-9} haud ita coniuncta erant. relinquitur, ut vetustior Scholiasta Hermogenis de Jnv. librorum, qui ad condenda anonyma Scholia et anonyma

[1] Hanc partem a Doxopatro receptam (cf. adn. XI 3) in codicis Par. 2922 fol. 92 deteximus. ubi similis corruptela nata est atque in codice P 1874. homoioteleuto enim deceptus scriba verba, quae inter *ἀπαγγελία πραγμάτων* W VII 729_{29} et *γεγενημένων* 729_{31} leguntur, omisit.

[2] Prolegomenis Artis verba puriora contineri horum cum Epitoma comparatione perspicuum est. et W VII 52_{11} et E 48_{9} legitur *ἑρμηνεία* (vel *φράσις*) *ἀπερίεργος ἔστω*, quorum verborum loco in Scholiis *τὴν δὲ ἑρμηνείαν δεῖ . . . ἀπερίεργον εἶναι* scriptum est.

[3] In Arte praeceptum prooemii actionis praecepto prooemii elocutionis continuatum esse ex Epitomes praeceptis §§ 137, 197 colligimus.

Prolegomena I adhibitus est, partes Artis, quae et in Scholiis et in Prolegomenis leguntur, exscripsisse putetur. eidem cetera quoque Artis excerpta deberi, quae Scholiorum et quae Prolegomenorum propria sunt, verisimillimum est.

Eodem vetustiore Hermogenis Scholiasta auctor commentarii Pseudogeorgiani usus esse videtur. in hoc enim commentario W VI 512 $_{4-6}$ adn. 44 eadem atque in anonymis Prolegomenis I W VII 53 $_{6}$—54 $_{3}$ leguntur, et Apollodoreorum Alexandrique *περὶ τάξεως προοιμίου* praecepta et verba W VII 53 $_{22}$—54 $_{3}$, quae ex Arte non deprompta sunt. consensus igitur inter anonyma Prolegomena I et commentarium Pseudogeorgianum non eo explicandus est, quod uterque auctor idem ex Arte descripserit. cum autem illa verba W VII 53 $_{22}$—54 $_{3}$, quae ex uno fonte hausta esse statuimus, in Prolegomenis arcte cohaereant, in commentario Pseudogeorgiano segregata sint, illa non ex hoc pendere liquet. auctorem commentarii Pseudogeorgiani Prolegomena non expilasse nunc paucis comprobandum est.

Illi excerpto Artis, quod et in Prolegomenis et in commentario Pseudogeorgiano extat, in hoc alia excerpta Artis antecedunt:

W VI 511 $_{4-12}$ = E § 1[1]

lenibus quibusdam differentiis duorum locorum commentarium Pseudogeorgianum non excerptum Epitomes sed Artis ipsius exhibere intellegitur. ut exemplum adferamus, neque verba E 1 $_{1}$ *ἤτοι δικανικός*, quae pro interpolatione habenda sunt, in commentario inveniuntur, et ibidem W VI 511 $_{5}$ post verbum *διαιρεῖται* nomina quattuor orationis partium enumerantur, pro quibus epitomatorem verba *τὰ προκείμενα* E 1 $_{2}$ posuisse certum est.

Enuntiatum W VII 511 $_{19}$ sq. similitudinem quandam cum E §2 habet. ubi autem veriora Artis verba tradantur, difficile est diiudicatu neque minus dubium est, num in Arte eadem atque W VI 511 $_{15}$ causa, cur primum de prooemio agendum sit, adlata fuerit.

W VI 511 $_{22}$—512 $_{4}$ denique etymologia nominis *προοιμίου*,

---

1 Enuntiatum W VI 511 $_{6}$ *περὶ ὧν — διδάσκει*, quod ab Hermogenis interprete additum esse patet, in codice Vat. 105, optimo commentarii Pseudogeorgiani exemplari, deest. praestantiae huius codicis documento sint paucae aliae lectiones a Walzio in apparatu critico adlatae. *προσεχεστέρους* W VI 511 $_{8}$ in aliis codd. mutatum et *τῆς κιθάρας* 512 $_{3}$ alibi omissum genuinas lectiones esse verbis E 1 $_{3, 15}$ ostenditur, lectio *μεθείλκυσται* 511 $_{22}$ anonymis Prolegomenis II W VII 56 $_{6}$ stabilitur.

quam E § 4 legimus, nonnunquam eisdem verbis adhibitis recepta est, sed eodem consilio atque unum Epitomes enuntiatum in anonymis Prolegomenis I (cf. adn. XIII $_{2}$) amplificata est[1].

Auctorem commentarii Pseudogeorgiani Artis excerpta modo enucleata ex hac ipsa, proximum excerptum W VI 512 adn. 44, quod ei cum anonymis Prolegomenis I commune est, e Prolegomenis sumpsisse minus probabile est quam omnia excerpta ex eodem vetustioris Hermogenis Scholiastae opere, quod auctor Prolegomenorum compilavit, in commentarium Pseudogeorgianum derivata esse.

Inter commentarium Pseudogeorgianum et anonyma Scholia, quae saepissime conspirare obiter inspicienti iam adparet, parem rationem atque inter commentarium Pseudogeorgianum et anonyma Prolegomena I intercedere cum conicere licet tum Artis excerptis, quae et commentario Pseudogeorgiano et anonymis Scholiis continentur[2], confirmatur. Artis excerpta enim, quae Scholia W VII 752 $_{5-8}$, V 395 $_{12}$—396 $_{9}$ exhibent, in commentario Pseudogeorgiano reperiuntur, sed Artis excerpta, quae in Scholiis arcte cum illis cohaerent W V 396 $_{9}$—397 $_{3}$, in commentario Pseudogeorgiano abscissa sunt, sive omnino praetermissa sive alio loco posita sunt. tribus autem epichirematis finibus in Scholiis W VII 752 $_{5}$, V 395 $_{12-15}$ enumeratis commentarius Pseudogeorgianus hunc quartum adnectit: *ἢ ἐπινόημα, ὃ κατασκευάζει τὸ προκείμενον ζήτημα·* quem, cum eodem modo, quo tertius epichirematis finis (W V 395 $_{14}$) tertio enthymematis fini (W VII 763 $_{5}$), quarto enthymematis fini (W VII 763 $_{7}$) respondeat, non ab auctore commentarii Pseudogeorgiani additum sed ex

---

1 Etymologia, qualis in commentario Pseudogeorgiano est, reperitur in anonymis Prolegomenis II W VII 56 4—13, sed hic extremum enuntiatum Pseudogeorgianum W VI 512 3 omissum est, quod ex Arte descriptum esse patet, cum enuntiato E 1 13 prorsus par sit. alia pars commentarii Pseudogeorgiani W VI 509 26—510 23 cum initio anonymorum Prolegomenorum II W VII 55 3 —56 13 ad verbum consentit. utraque igitur pars e commentario Pseudogeorgiano in anonyma Prolegomena II fluxisse aut horum quoque auctor vetustiorem Hermogenis Scholiastam usurpasse putandus est. anonyma Prolegomena II pariter atque anonyma Prolegomena I e vetustiore Scholiasta pendere iudicaremus, si praeter illam etymologiam nominis prooemii alia excerpta Artis in eis detexissemus. at quamquam complures loci horum Prolegomenorum quandam cum Epitoma necessitudinem habent (cf. commentarium ad §§ 10, 15, 33, 122), ibi excerpta Artis agnoscere audacius est.

2 Bethius et Pernicius (cf. adn. XIII 1) in codice Vat. 105 verba W VII 729 27—730 6 in fol. 71 b, verba W VII 752 5—8, V 395 12—396 9 in fol. 87 b, verba W VII 762 18—766 16 in fol. 102 b sq. detexerunt et varias lectiones adnotaverunt. cetera Artis excerpta, quae anonymis Scholiis insunt, in illo codice non invenerunt.

Arte ipsa receptum esse persuasum habemus. commentarius Pseudogeorgianus ergo et anonyma Scholia Artis excerpta sua eidem vetustiori Hermogenis Scholiastae debere cognoscuntur[1].

Tempus quo vetustiora illa in Hermogenis de Jnv. libros Scholia composita sint, in quae omnia Artis excerpta adhuc enumerata primo congregata esse sumpsimus, certioribus finibus circumscribi nequit, quoniam de anonymis Prolegomenis I et anonymis Scholiis nihil nisi ea ante annum millesimum scripta esse[2], de commentario Pseudogeorgiano ne hoc quidem constat[3].

II. Marcellinus.

Post Syrianum et Sopatrum, quorum alter circa medium saec. V, alter sub finem eiusdem saec. floruit[4], Marcellinus rhetor commentarium in Hermogenis de Stat. librum composuit. hic Hermogenis scholiasta non diversus esse videtur a Marcellino, cui vulgo Thucydidis vita adscribitur. eidem in codice Pal. tota scholia Thucydidea vindicari Eugenius Petersen[5] vidit. Ernestus Schwabe[6] igitur Marcellinum scholia in formam, qua nos utimur, redegisse sumpsit et eum inter saeculum VI et X fuisse demonstravit. nam Suidam vitam Marcellini pleniorem habuisse quam nos, scholia autem inde a Justiniani temporibus in formam hodiernam redacta esse.

In uno tantum Marcellini commentarii capite, quo Hermogenis de *κοινῇ ποιότητι* verba Sp II 148 $_{24}$ sqq. explicantur, Artis excerpta deprehenduntur. quorum in numero illud maximi momenti est, quo de differentia prooemii et epilogi agitur W IV 428 $_{4-29}$. quisquis hanc partem Marcellini commentarii cum Epitomes §§ 19, 20 et 237 comparaverit, utroque libro eiusdem rhetoris verba tradi, sed ea in Epitoma in duos locos dispersa et utrobique coacta, apud

[1] Qua de causa sperandum est alia Artis excerpta, quae a vetustiore Scholiasta recepta, in anonymis autem Scholiis omissa sint, e praestantissimo codice Vat. 105 erui posse.

[2] Anonyma Scholia et tria anonyma Prolegomena codicibus Par. 1983 et 2977 traduntur, de quibus cf. supra p. V.

[3] Commentarium anno millesimo antiquiorem esse sciremus, si eum in anonymis Prolegomenis II excerptum esse constaret cf. adn. XVII 1.

[4] Syrianum, Hermogenis interpretem, non alium sumimus esse ac philosophum Neoplatonicum, Plutarchi successorem, Sopatrum rhetorem eundem esse credimus, cui IX epistola Aeneae Gazaei scripta est (apud Hercherum *Epist. Gr.* p. 26).

[5] *De vita Thucydidis* Dorpati 1873 p. 9.

[6] *Quaestiones de scholiorum Thucydideorum fontibus Leipz. Stud.* IV 1881 p. 78, 141 sqq.

Marcellinum indivisa et magis intacta servari intelleget. quod si Marcellinus haec verba ab Arte repetisse sumendus est, Epitomes fabricatorem, quem permultas et magnas partes Artis excidisse ex excerptis ab Hermogenis de inventione librorum Scholiasta factis satis adparuit, etiam partes Artis cohaerentes discerpsisse et quaedam falsis locis posuisse studioque breviandi mutasse elucet. Marcellinum autem illa verba Arti debere eo confirmatur, quod inde alias particulas exscripsit.

W IV 422 $_{27}$ quattuor fines epilogi enumerantur, quorum primus et tertius inter epilogi fines E §§ 198—200 adlatos primo et tertio loco reperiuntur, alter Neoclis, alter Alexandri nomen prae se ferens. non in alio libro nisi in Arte, cuius Epitomen edimus, Neoclis et Alexandri fines ita coniunctos fuisse credi potest. Marcellinus ergo hac Arte usus est. cui secundum apud Marcellinum epilogi finem vindicare non dubitamus, nam Epitomes fabricatorem hunc eodem modo, quo Marcellinum secundum Epitomes finem § 199 omisisse veri similius est quam Marcellinum inter duos fines, quos ex uno loco exscripsit, aliunde repetitum interiecisse. neque autem quartum finem W IV 422 $_{30}$, cui Minuciani nomen praefixus est, in Arte cum superioribus coniunctum fuisse credimus, quia nullo alio loco Artis quaedam a Minuciano repetita invenimus.

Complura minora Artis excerpta in eodem Marcellini commentarii capite dissipata sunt, quae fere ad verbum cum suis Epitomes locis congruunt:

W IV		E
423 $_{3-6}$	=	§§ 207, 208
424 $_{25-27}$	=	§ 202
424 $_{27-30}$	=	§ 235
426 $_{17-19}$	=	§ 204
426 $_{31}$ - 427 $_{2}$	=	§ 212
427 $_{8-10}$	=	§ 205[1]

III. Nicolaus.

Hic auctor Progymnasmatum, quae Finckhius Sp III 449 ex anonymis in Aphthonium scholiis W II effodit, veterrimus rhetorum

[1] Duae lacunae Marcellini commentarii Epitomes verbis expleri possunt. W IV 423 $_{5}$ enim post verba *ἔργον δὲ ἐπιλόγου κατὰ Πλάτωνα* (*πλεῖονα* quod traditur, Finckhius correxit) *ἐν Φαίδρῳ· ἐν κεφαλαίῳ λέγοντα ὑπομνῆσαι ἐπὶ τελευτῇ τοὺς ἀκούοντας* inserenda sunt verba E 41 $_{12}$ *τῶν εἰρημένων* — $_{18}$ *διεγεῖραι.* W IV 426 $_{18}$ *ὥστε* ⟨*μὴ*⟩ scribendum est ut E 40 $_{18}$.

est, quos Arte usos esse scimus. circa annum quingentesimum enim Constantinopoli floruit.

Progymnasmatum verbis Sp III 477 $_5$ = W II 614 $_5$, quibus exponitur, quid epilogi proprium sit, Alexandri de elocutione et actione epilogi praeceptum subesse cognovimus. E §§ 240, 241 enim ea, quae Alexander de elocutione prooemii et narrationis praescripsit, valde breviata et coartata exhibent. inde colligimus §§ 242, 243 quoque excerpta Alexandri praeceptorum esse. cum § 243 autem Nicolai verba, de quibus agitur, insignem similitudinem prae se ferunt. utrobique ut epilogi elocutio *παθητική* reddatur et *δεινώσεις καὶ σχετλιασμοί* usurpentur praescribitur. ut quae ratio inter Nicolaum et Epitomen intercedat statuamus, quomodo discrepent quaerendum est. praeceptum E 48 $_{22}$ adlatum, ut elocutio *τολμηροτέρα τοῖς σχήμασι* sit, apud Nicolaum deest neque vero haec discrepantia ullius momenti est. praeterea eo discrepant, quod E 48 $_{23}$ adiectivum *περιπαθεστέρα* ipsum quoque ad elocutionem refertur, apud Nicolaum actio epilogi, cuius in Epitoma omnino mentio non fit, *περιπαθεστέρα* dicitur Sp III 477 $_7$ *ἴδιον ἐπιλόγῳ .. καὶ αὐτῇ τῇ ὑποκρίσει κεχρῆσθαι περιπαθεστέρᾳ*. his verbis evincitur Nicolaum non Epitoma usum esse. cum enim Alexandri sit elocutionis praeceptis pauca de actione verba adiungere (cf. §§ 136 sq., 196 sq. et adn. XV $_3$), dubitari non potest, quin Nicolaus Alexandri de epilogo praeceptum integrius quam Epitome exhibet legerit.

Sp III 457 $_{25}$ sqq., 458 $_1$ sqq. = W II 583 $_1$, $_{10}$ Nicolaum eadem Theodori de narrationis virtutibus verba et Aristotelis de brevitate verba, quorum excerpta E §§ 103, 102 leguntur, ante oculos habuisse perspicuum est. haec Theodori et Aristotelis verba a Neocle consociata esse infra adparebit. cum igitur Nicolaum et Alexandri libri et Neoclis libri parte, quam Ars continebat, usum deprehenderimus, eum non illos libros adiisse sed Artem usurpasse credamus.

Iam aliane Artis excerpta in Nicolai Progymnasmatis insint quaerendum est. de nonnullis Progymnasmatum locis, quos in commentario ad E §§ 26, 79, 233 laudavimus, certum dici non potest. neque autem dubium est, quin et verba Sp III 473 $_{26}$ = W II 610 $_{32}$ ex Artis praecepto, quod integrius E § 7 servatur, sumpta sint et plurimi orationis partium fines, qui in Progymnasmatum Prolegomenis enumerantur, eidem Arti debeantur. Finckhius Sp III 450 $_{18}$— 451 $_5$ hanc enumerationem ex anonymis Aphthonii scholiis W II 6 $_{17}$—

7 $_{18}$ solis restituere temptavit, sed eadem a Doxopatro W II 123 $_{9}$ sqq. compilata est, ubi W II 123 $_{28}$, 124 $_{31}$ alii fines *ἔργον* prooemii et epilogi extant atque W II 7 $_{1, 16}$. Nicolaus ergo non modo duos fines narrationis W II $_{8}$ = Sp III 450 $_{23}$ adtulisse sed etiam *ἔργον* prooemii et epilogi duplici modo definivisse videtur. undecim finium, quos Nicolai Progymnasmatis adsignamus, quattuor in Epitoma reperiuntur[1] et inter eos Platonis finis epilogi *ἔργον*, a quo et apud Nicolaum Sp II 451 et E 41 $_{12}$ praepositio *περὶ* a Platone verbis *τῶν εἰρημένων* praefixa abest. quintum ex Nicolai finibus Sp III 450 $_{24}$ iam in alio excerpto Artis deteximus W VII 729 $_{27}$. itaque etiam ceterorum sex finium quattuor, quos bene ad Artem quadrare videbimus, inde in Progymnasmata fluxisse veri simile est. solos fines *ἀντιθέσεως* et *λύσεως*, quibus in Arte, quae *ἀντίθεσιν* et *λύσιν* non in partes orationis referebat, locus non erat, Nicolaus aliunde repetisse sumendus est.

IV. Geometra.

Omnium, qui Artis excerpta exhibent, supremus Geometra est, cuius *ἐξήγησις εἰς τὰ προγυμνάσματα τοῦ Ἀφθονίου*[2] a Doxopatro cum alias tum ubi de virtutibus narrationis agebatur compilata est. etsi huius interpretationis auctor a Doxopatro nomine Geometrae solo appellatur, non diversus esse videtur ab Joanne Geometra, quem studia rhetorica haud aspernatum esse constat. inter multa enim opera, quae sub eius nomine feruntur, complura encomia et ecphrases sunt[3]. aetas hominis sylloga carminum variorum codicis Par. suppl. 352 definitur. cuius in partem inferiorem epigrammata diversorum auctorum, quorum nomina tacentur, inserto odario erotico congesta sunt, priore parte poemata Christiana continentur, quae Cramerus, primus sylloges editor[4], quia in eorum initio quattuor hymni et sub finem novem Canticorum metaphrases extarent, quae aliis quibusdam codd. Joanni Geometrae adscriberentur, cuncta huic poetae vindicavit. Crameri coniecturae vires accreverunt eo, quod

[1] Sp III 450 $_{20}$ = E § 9; 450 $_{22}$ = § 48; 450 $_{32}$ = § 198; 451 $_{3}$ = § 207.

[2] Hic titulus Geometrae operis semel in Doxopatri Homiliis W II 104 $_{16}$ adfertur, sed saepius in Doxopatri Hermogenis de Inv. libri interpretatione.

[3] Orationem de malo e codice Gr. Matrit. LXXXII publicavit Iriarte *Catal. codd. Gr. Matrit.* p. 301. eandem orationem, encomium quercus, ecphrasin horti aliasque eius modi orationes codice Barocc. XXV contineri comperimus Bernardi *Catal. codd. Angliae* I p. 3.

[4] *Anecd. Gr. Paris.* IV p. 264—388.

Diltheyus, praeceptor dilectissimus, in codice Par. 1630, carmen apud Cram. p. 334 $_{22}$ hoc titulo ornatum *ἐξομολόγησις εἰς τὸν χριστὸν διὰ ἡρωελεγείων. τοῦ γεωμέτρου* reperit et alia poematia florilegii Joanni Geometrae certis de causis adtribuenda esse vidit[1]. accedit quod quattuor iambi in crucem apud Cram. 305 $_{6}$ inter alia carmina eiusdem argumenti a Leone Allatio editi sunt[2], qui quodam codice ut videtur nixus eis nomen Joannis Geometrae praefixit. quin ergo huic ‹versificatori pessimo› tota prior pars sylloges codicis Par. suppl. 352 iure adsignata sit, non iam dubium est. falso autem Cramerus Joannis Geometrae poetae aetatem definivit, quem, quoniam cladem Nicephoro Logothetae a Bulgaris anno 811 illatam defleret, hoc regnante vixisse sumpsit, nam Diltheyus Nicephorum regem, ad quem carmina apud Cram. 290, 305 $_{1}$ scripta sint, Nicephorum Phocam esse intellexit, qui post imperium sex annorum anno 969 interfectus est. posteriore igitur parte saeculi X neque multo ante tempora Doxopatri Joannes Geometra fuit. si hac sera aetate, cum iam diu Epitome in manibus hominum versaretur, Artem ipsam extitisse tibi persuadere non potes, Geometram suas interpretationes Aphthonii de narrationis virtutibus praeceptorum ex antiquiore commentario descripsisse credendum est. nam ad has interpretationes componendas Artem adhibitam esse eis perlustratis et dissolutis elucebit. ut disputatio nostra minus impedita sit, Geometram ipsum auctorem interpretationum esse sumimus.

Geometra cum de prima narrationis virtutum ab Aphthonio postulatarum dissereret, hanc rationem iniit, ut plurima Theonis de perspicuitate praecepta mutato interdum ordine mutatisque saepe verbis reciperet et nonnumquam longiores explicationes de suo adderet[3] (Geometra W II 220 $_{22}$ = Theo Sp II 80 $_{13}$, 221 $_{8}$ = 80 $_{24}$, 221 $_{17}$ = 80 $_{27}$, 222 $_{8}$ = 82 $_{23}$, 222 $_{21}$ = 82 $_{19}$[4], 222 $_{23}$ = 81 $_{4}$,

---

[1] *De epigrammatum Graecorum syllogis quibusdam minoribus commentatio.* Gottingae 1887 p. 21 sq.

[2] *Excerpta varia Graecorum sophistarum et rhetorum* Romae 1641 p. 399.

[3] His potissimum quanta fuerit Geometra sagacitate cognoscitur, ut explicatione verborum *συνθέτων* W II 231 $_{16}$. Theonem, qui Sp II 84 $_{14}$ composita verba simplicibus opponit, sub illis non idem intellexisse atque Geometram patet. qui *σύνθετα διθυραμβώδη καὶ συνηθέστερα τοῖς ποιηταῖς* esse dicit. huius modi autem *σύνθετα* brevitati minime nocent. cf. Demetrium de eloc. § 92 Sp III 283 $_{18}$.

[4] *μεταξυλογίαι* et *ὑπέρβατα*, quibus et a Theone et E 17 $_{15}$ perspicuitas *λέξεως* minui dicitur, inepte a Geometra inter *πράγματα* orationem obscurantia enumerantur.

$222_{27} = 81_{6}$, $222_{30} = 80_{11}$, 223_{3}–$224_{1} = 81_{8-29}$ (cf. 76_{28}), $224_{4} = 81_{31}$, $224_{20} = 82_{3}$, $224_{29} = 82_{26}$, $226_{2} = 82_{16}$). inter ea, quae Geometra Theonis verbis addidit, tres particulae sunt, quae ex Epitoma pendere videntur. adiectiva *μακραῖς καὶ ἀπηρτημέναις* W II 221_{17} nomini *παρεκβάσεσι* adposita, *λέξεις γλωσσηματικαί* W II 223_{5} Theonis sex generibus verborum perspicuitati nocentium adiectae, praeceptum W II 226_{6}, ut *τὸ μῆκος τῶν περιόδων* vitetur, E 17 $_{12, 14, 16}$ reperiuntur.

In altera parte, qua de brevitate agitur, Geometra primo, ut modos brevitatis *ἐκ πραγμάτων* efficiendae exponeret, eadem via atque in parte superiore processit. initio enim quattuor Theonis praecepta recepit et suo more dilatavit (W II 229, $_{14, 23}$, 230 $_{3, 5}$ = Sp II 83 $_{19, 21, 21, 20}$). deinde W II 230_{9} *ταυτολογίαν* caveri iussit, cuius non apud Theonem sed E § 68 mentio fit. tum W II 230_{17} enuntiatum Theonis Sp II 80_{2}, quo res offendentes et delectantes diversis modis tractandas esse docetur[1], ad verbum descripsit. ubi autem *λέξεις* et *σχήματα* brevitati utilia vel noxia enumerare coepit, non iam Theoni primas detulit. cui sola praecepta, ut *σύνθετα* et *μακρὰ* evitentur (W II 230_{28} 231 $_{16, 27}$ = Sp II 84 $_{14, 15}$) neve sententia pro vocabulo adhibeatur (W II 231_{3}, 233_{3} = Sp II 84_{10}), et exemplum *συνωνύμων* (W II 231_{21} = Sp II 84_{9}) debetur, plurima praecepta paria sunt eis, quae E §§ 69—78 exhibet.

In eis denique, quae Geometra de credibilitate disputavit, unum tantum excerptum Theonis deprehenditur (W II 235_{30} = Sp II 84_{19}). cetera etiam magis quam superiora cum Epitoma conspirant, cuius §§ 89—98 omnia praecepta a Geometra adlata continentur.

Locos enumeravimus, quibus Geometrae cum Epitoma cognatio patefit. ut Geometram non Epitomen sed Artem ipsam excerpsisse comprobetur, satis est unum Geometrae locum tibi proponere, quo eum praeceptum Artis in Epitoma omissum servasse apertum est. E §§ 69—71 antequam figurae brevitati nocentes nominantur, praescribitur, ut breviloquendi studiosus duo genera vocabulorum, synonyma et epitheta, fugiat et synonymorum breviora eligat. Geometra ipse quoque sub initium eorum, quae de brevitate *ἐκ λέξεως* efficienda disserit, eadem tria praecepta eodem ordine, quem in

[1] Hoc enuntiatum a Theone in alio sententiarum nexu positum minime ad brevitatis praecepta quadrat, inter quae Geometra collocavit.

Epitoma sequuntur[1], profert sed ante ea quoddam aliud collocat, scl. ut brevi locuturi una generali notione neque pluribus specialibus utantur: W II 230 $_{25}$ *ἢ* (l. *ἡ*) ⟨*δὲ*⟩ *κατὰ λέξιν* (scl. *συντομία ἔσται*), *ὅταν τῷ καθόλου ἀλλὰ μὴ τοῖς κατὰ μέρος χρώμεθα.* W II 231 $_{5}$ *καθόλου μὲν οὖν ἐστιν ὅτε τῷ γενικῷ ἢ τῷ περιληπτικῷ χρώμενοι μόνῳ ὀνόματι ⟨μὴ⟩ τὰ κατὰ μέρος ἢ κατ' εἶδος λαμβάνωμεν, ὡς τὸ* (*Λ* 286) *‹ὦ Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι›. ταῦτα γὰρ κατ' εἶδος εἴτ' οὖν κατὰ μέρος, τὸ δὲ «ἄνδρες σύμμαχοι» ἐπιτετμημένον.* hoc praeceptum cum elegantius est, quam ut a Geometra, ineptissimo rhetore, excogitatum esse putari possit, tum insignem illorum trium praeceptorum, quae id apud Geometram excipiunt et in Epitoma quoque extant, similitudinem prae se fert. nam et hoc ipso certum quoddam genus vocabulorum ut breviloquenti utile commendatur et huic item atque ceteris tribus locus Homericus exempli causa adiungitur. itaque hoc praeceptum in Arte cum ceteris tribus colligatum fuisse persuasum habemus, praesertim cum Neoclem, cui illa tria praecepta vindicanda sunt, quattuor de brevitate ex elocutione efficienda praecepta dedisse multo probabilius sit quam tria. eundem enim de multis aliis rebus quaterna praecepta invenisse et quadripartiendi studiosissimum fuisse infra satis adparebit.

Postquam hoc exemplo Geometram Arte usum esse illustravimus, quaerendum est, quibus aliis locis Geometra praeceptum Artis, quod Epitomae desit, quibus praeceptum plenius quam Epitome tradat. sed hoc differimus, dum Artis, quam infra restituere conabimur, pars ad narrationis virtutes spectans nobis tractetur.

Restat, ut duos infimae aetatis rhetores commemoremus, qui paucas particulas Artis exhibent neque tamen inter Artis excerptores referendi sunt. in Georgii Gemisti Plethonis Syntoma Rhetorices quinque definitiones inveniuntur, quas in Arte extitisse constat.

W VI 580 $_{3}$ = Nicolai Prog. Sp III 450 $_{18}$
— 581 $_{2}$ = epichirematis definitioni, quam in commentario Pseudogeorgiano esse diximus et Arti tribuimus p. XVII.
— 581 $_{3}$ = Anonyma de Jnv. Scholia W V 395 $_{14}$

---

[1] Geometra eo tantum ab Epitoma discrepat, quod inter paenultimum et ultimum praeceptum W II 230 $_{28}$, 231 $_{16}$ praeceptum a Theone repetitum inserit.

W VI 582 $_{3}$ = E § 158
— 582 $_{7}$ = E § 198

in Rufi libello[1] sex earum definitionum, quae Arte continebantur, reperiuntur:

Sp I 463 $_{18}$ = Nicolai Prog. W II 123 $_{23}$
— 465 $_{8}$ = E § 13
— 465 ^{28} = E § 48
— 467 $_{18}$ = illi Plethonis definitioni W VI 581 $_{2}$
— 468 $_{15}$ = E § 156
— 469 $_{8}$ = E § 158

aliae quoque similitudines Rufi libelli et Artis detegi possunt. Rufus enim Sp I 463 $_{23}$—464 $_{18}$ de prooemio a persona capiendo similia dicit atque E § 7 leguntur, et Sp I 464 $_{5,\,10}$ eisdem exemplis utitur quibus E 2 $_{14,\,20}$. quae Sp I 466 $_{19}$ de tropis narrationis docentur, propinqua sunt Epitomes parti §§ 57—60, qua de *παραδιηγήσει* agitur, et in eis idem *προδιηγήσεως* exemplum Sp I 467 $_{3}$ atque E 13 $_{17}$ adhibetur. at haec Artis vestigia apud Plethonem et Rufum indagata incertiora sunt quam quibus utrumque rhetorem Arte usum esse probari possit.

DE ARTIS AETATE ET AUCTORE

Terminus, ante quem Artem confectam esse constat, a termino post quem maiore spatio temporis distat, cum Nicolaus, veterrimus Artis excerptorum, cuius quidem aetas nota sit, sub finem saeculi quinti floruerit, novissimus rhetorum, qui in Arte laudantur[2], sub finem secundi saeculi vixerit. Harpocrationem enim in Arte commemoratum eundem esse comprobabimus, qui exeunte saeculo secundo Hermogenis statuum doctrinam impugnavit[3]. fortasse negabis Artis auctorem post Hermogenis tempora fuisse. nam, inquies, technographus inferioris temporis, qui prorsus novam et peculiarem

---

[1] Sub Rufi nomine exilis et macra *Τέχνη ῥητορική* Sp I 463 fertur. quo tempore hic Rufus fuerit, nullo modo definiri potest, sed eum non vetustioris aetatis esse operis vilitas testatur.

[2] Cf. de his paenultimum Prolegomenorum caput.

[3] Harpocratio, cuius scholiastae Hermogenis de Stat. libri saepius mentionem faciunt, W VII 349 sqq., 547 sqq. apertis verbis Hermogeni adversatus esse traditur. quo tempore fuerit, quaestione de Cornuto statim instituenda patefiet.

artem condere nolebat sed vetustiores artes compilabat, clarissimi rhetoris libros, qui apud posteros summa auctoritate florebant, non neglexisset[1]. at quando Hermogenis ars suam auctoritatem habere coeperit incertum est. hoc quidem adseverari potest neque in Apsinis neque in Longini arte ulla vestigia Hermogenis doctrinae detegi. Artis autem auctorem uno ex rhetoribus Hermogene posteriobus, qui illius auctoritatem non agnosset, usum esse statuimus. itaque Artis auctor ipse Hermogenem aspernatus et respuens ad Artem componendam solos rhetores illo aetate superiores et unum illi adversatum adhibuisse putandus est.

Finckhius[2] et Kayserus[3] auctorem libelli quem edimus inter Hermogenis commentatores fuisse voluerunt. qui ut ita iudicarent commoti sunt Epitomes loco 33 $_{15}$ *τὴν δὲ μάχην ἐν τοῖς περὶ εὑρέσεως σχολικοῖς, ἐν οἷς περὶ ἐπιχειρημάτων ἐλέγομεν, ἐδιδάξαμεν* et fortasse alio loco 49 $_{17}$ *περὶ δὲ τῆς διηγήσεως εἴρηται ἐν τῷ περὶ εὑρέσεως δευτέρῳ τόμῳ·* proximis verbis non Scholica illa, sed partem Artis ipsius significari firmis argumentis comprobabitur, neque priora verba ad commentarii Hermogenis de Jnv. librorum caput, quo Hermogenis de epichiremate praecepta (Sp II 212) explicabantur, iustis de causis referuntur. num liber qui citatur scholia Hermogenis de Jnv. librorum continere planis et expressis verbis dicitur? quid? verba *περὶ εὑρέσεως σχολικά* nonne apta sunt, ut libro inscribantur, qui alii libro explicationi non sit? sin autem sub verbis *τοῖς περὶ εὑρέσεως σχολικοῖς* scholia in Hermogenis de Inv. libros intellegere mavis, haec ei vindicanda sunt, qui Artem in epitomen redegit. quem expositionem pugnae ex Arte aliquando in suam Hermogenis interpretationem transscripsisse tum eandem Artem in compendium redigentem verba *τὴν δὲ μάχην — ἐδιδάξαμεν* inseruisse credibile est. at commentatorem Hermogenis ipsum eius modi artem conscripsisse, in quam plurima praecepta rhetorum, quos ille gloria multo superabat, colligeret neque quicquam ex Hermogenis scriptis reciperet, a fide abhorret. qua de causa tenendum est Artis auctorem inter exiens saeculum secundum

[1] Antequam Harpocrationem Artis et Hermogenis adversarium unum eundemque esse intelleximus, ipsi Wilamowitzio auctore Artem ante Hermogenem scriptam esse credebamus. idem contendit Christius *Griech. Litter.*[2] p. 627.

[2] In Programmate l. p. 1.

[3] *Jahrbb. f. Phil.* LXX 1854 p. 295.

et saeculum quintum fuisse neque autem Hermogenianorum sectae se addixisse. certiores fines temporis, quo Ars orta sit, constitui possunt, si recte Cornutum eius auctorem esse coniecimus.

Ansam coniecturae locus Anonymi in Hermogenis de Id. libros scholiorum, quae ipsa quoque codicibus Par. 1983 et 2977 continentur, nobis dedit. scholiasta enim, ubi ei Hermogenis praeceptum Sp II 279 $_{16}$ interpretandum est, non solum quid sint *κομματικὰ κῶλα* Lacharem auctorem secutus explicat W VII 929 $_{12-18}$ sed etiam plura de *κώλῳ* et *κόμματι* tradit longiore huius digressionis excusatione praemissa W VII 229 $_{19}$—930 $_{11}$[1]. in qua Lacharem opus elaborasse narratur, quo de nulla re nisi *περὶ κώλου καὶ κόμματος καὶ περιόδου* ageret. quin ex hoc libro, quaecumque in scholiis inde a W VII 930 $_{11}$–932 $_{2}$ exponuntur, derivata sint, nemini dubium erit, qui perlegerit et verba, quae scholiasta digressione finita de Lachare facit W VII 932 $_{4}$ sqq., animadverterit. Lachares primum Aristotelis et Isocratis definitiones trium terminorum, quos tractabat, adtulisse dicitur W VII 930 $_{11-23}$. ex auctoribus apud Lacharem enumeratis, qui post Isocratem illos terminos definiverint, apud scholiastam primus Lollianus nominatur W VII 930 $_{15}$—931 $_{1}$. e proximis scholiastae verbis W VII 931 $_{1-2}$ *δοκεῖ δὲ ὁ Κορνοῦτος σαφέστερον περὶ αὐτῶν εἰπεῖν· τὴν γὰρ Βασιλικοῦ παρίημι δόξαν* concludendum est Lacharem Lolliani definitionibus Basilici et bis Cornuti continuasse, scholiastam autem Basilici definitiones sprevisse. e scholiastae verbis W VII 931 $_{14-15}$ *ἔτι δὲ σαφέστερον τὰ περὶ τοῦ κόμματος Ἀψίνου δόξειεν ἂν ἔχειν* Lacharem Cornuti definitionibus Apsinis adnexuisse adparet. Lachares igitur ex temporum ordine singulorum rhetorum de periodo membro commate sententias ab Aristotele et Isocrate incipiens exposuisse videtur. nam Lollianum Hadriani aetate floruisse, Basilicum, Apsinis magistrum[2], ante Hermogenem de formis scripsisse et Demosthenem interpretatum esse[3], Apsinem ipsum, Philostrati amicum[4], priore parte saeculi tertii vixisse constat. at inter duos extremos Cor-

---

[1] Scribe W VII 930 $_{1}$ *περιγράφοντα*, $_{6}$ *διαπεπόνηται*. $_{8}$ *κόμματος ⟨καὶ περὶ περιόδου⟩* secundum W III 719 adn. 4 et Suidam s. v. *Λαχάρης*, $_{10}$ *μετὰ ἄλλων*, *⟨ἀλλὰ⟩*.

[2] Cf. Suidam s. v. *Ἀψίνης* et Apsinem Sp I 331 $_{7}$.

[3] Cf. W VII 878 $_{1, 16}$ et Tzetzae Scholia in Hermogenem apud Cramerum *Anecd. Gr. Oxon.* IV 126 $_{6}$ adn. s.

[4] Cf. Philostrati Vit. Soph. sub finem.

nutus enumeratur, quem Hermannus Sauppe[1] et Otto Jahn[2], viri summe venerandi, L. Annaeum Cornutum, Persii magistrum, esse existimaverunt. cui verba Cornuti a Lachare adlata abroganda esse ipsis verbis W VII 931 2 sqq. confirmatur. Cornutum enim, qui haec scripsit, Lolliani definitionem membri novisse eamque corrigere studuisse cognoscitur[3]. itaque Lachare teste praeter Cornutum, Persii magistrum, eiusdem nominis rhetorem Basilico inferiorem sed eius discipulo superiorem fuisse credendum est[4].

Omnes loci, quibus sub Cornuti nomine rhetorica traduntur, nunc nobis perlustrandi sunt, ut discernamus, quae ad Cornutum redivivum, quae ad L. Annaeum pertineant. quem ipsum quoque rhetorica opera condidisse scimus. nam cum a Suida *ἔγραψε πολλὰ φιλόσοφά τε καὶ ῥητορικά* dicitur, tum libri de figuris sententiarum eius a Gellio laudantur[5] et eidem ut videtur a Iulio Rufiniano in libro de schematibus dianoeas respiciuntur[6]. praeterea Cornuti *τέχναι ῥητορικαί* a Porphyrio citatae[7] L. Annaeo adsignandae sunt, quoniam Cornutum, cuius librum *πρὸς Ἀθηνόδωρον καὶ Ἀριστοτέλη ἀντιγραφή* inscriptum Porphyrius saepius et l. c. ipso una cum artibus rhetoricis laudat, philosophum Stoicum fuisse certum est. ad easdem artes etiam Cornuti rhetorices in certas quasdam species divisionem, quam Nicolaus in Progymnasmatis Sp III 483 25 = W II 631 6 commemorat, referendam esse putaverimus. nam Nicolai ex verbis *τὰ παρὰ τῷ Κουρνούτῳ* (sic) *ὀνομαζόμενα καὶ Πορφυρίῳ* colligimus Nicolaum Cornuti divisionem apud Porphyrium legisse.

---

1 *Epist. crit.* p. 155.

2 *Proleg. in Persium* p. XIV.

3 W VII 890 17—891 10 Cornuti definitiones commatis et membri cum definitione periodi coniunctae sunt. ubi idem locus Dem. (20 § 1), quem Lollianus W VII 930 30 definitioni membri adponit, ut periodi exemplum laudatur. cf. Demetr. de el. Sp. III 262 20. ceterum scribas in Cornuti definitionibus W VII 931 4 ⟨τὴν⟩ ἐπὶ μέρους, 9 μέρους, 13 ⟨ἐν⟩ δύο, 891 1 ἐξ ὀνομάτων ⟨δύο ἢ καὶ⟩, 2 ‹ἀντὶ πολλῶν ⟨ἄν⟩, ὦ ⟨ἄνδρες⟩ Ἀθηναῖοι›· μέτρον δὲ αὐτοῦ (κώλου) δώδεκα συλλαβαί, 6 τελειοῦν.

4 Nomen Cornuti haud paucos homines Graecos tulisse lapides testimonio sunt CIG 2052, 3671, 3860 i, k, 5983, 6506, 6333, CIA III 132 h, 1356, Lanckoronski *Städte Pamphyliens und Pisidiens* I, Insc. 32, 35. lapis CIA 1356, qui secundi saeculi esse dicitur, inscriptus est memoriae Cornuti adulescentis, Prusiae nati, qui Athenis studiis rhetoricis se dederat.

5 *Noct. Att.* IX 10.

6 *Rhet. Lat. min.* ed. Halm 60 11.

7 *Expos. in Aristot. Categ.* ed. Busse p. 86.

Cetera duo praecepta rhetorica Cornuto adsignata non L. Annaeo attribuenda sunt. alterum anonymo *περὶ τῶν στάσεων* tractatu servatur W V 592$_{32}$ *συμβέβηκε τῷ λόγῳ τῷ ῥητορικῷ ἡ στάσις καὶ δύναμιν ἔχει συμβεβηκότος, ταύτης δὲ τῆς δόξης καὶ Λολλιανός ἐστι καὶ Κορνοῦτος.* Cornutum hic laudatum, quippe qui post Lollianum commemoretur et idem quod hic docuisse dicatur, haud diversum esse a Cornuto, quem Lolliano inferiorem esse et in alia re ex eo pendere cognovimus, patet. alterum Cornuti praeceptum ipsum quoque ad statuum doctrinam spectans eiusdem Cornuti esse atque proximum eo confirmatur, quod Syrianus, qui hoc praeceptum bis tradit W IV 298$_{26}$, 843$_{24}$[1], eius auctorem inter rhetores enumerat, quorum nullus ante saeculum secundum fuit. Syrianus enim W IV 298$_{17}$, ubi quem statum singuli technographi primum constituerint docet, primo loco Minucianum ponit, altero Zenonem, quocum Hermogenem et Metrophanem coniungit, quia eiusdem atque Zeno sententiae sint, tertio Harpocrationem, quarto Cornutum, extremo Euagoram et Ancylam. Minucianus, qui ante Hermogenem de statibus scripsisse et ab hoc impugnatus esse in Hermogenis scholiis fertur[2], vel Hadriani vel Antonini temporibus fuisse videtur, nam avus Nicagorae, Philostrati amici, esse putandus est[3]. Zenonem, quem Hermogene superiorem fuisse e Syriani verbis adparet, eundem esse censemus, qui pariter atque Basilicus ante Hermogenis aetatem Demosthenis commentarios composuisse traditur[4]. Harpocratio Hermogenis adversarius est, de quo supra egimus. Euagoras et Ancylas aliquanto spatio temporis post Hermogenem vixerunt[5]. quin Cornutus his rhetoribus insertus idem sit, quem Lachares post Basilicum induxit, eo minus dubitamus, quod Syrianum quoque rhetores secundum ordinem temporum enumerasse perspicuum est. qua de causa hac eadem enumeratione fines et Harpocrationis et Cornuti aetatis certiores terminantur. illum Hermogeni adversatum et a Metrophane confutatum esse Hermogenis scholiastae

---

[1] Alter locus ex altero corrigendus est: l. W IV 298$_{28}$ *πρότερα*, $_{29}$ *προτέραν*, 843$_{27}$ *τὴν δὲ ἐν ῥητοῖς, τὴν ⟨νομικὴν⟩ ἀμφιβολίαν.*

[2] Cf. locos W IX 645 in indice s. v. Minucianus enumeratos.

[3] Cf. Letronnium *Journal des savants* 1844 p. 48.

[4] W VII 878$_{14}$ (cf. adn. XXVII$_{3}$) = Crameri *Anecd. Gr. Oxon.* IV 126 adn. s.

[5] Hi W IV 130, 179, 295 Hermogene posteriores esse dicuntur, 294 post Metrophanem nominantur, quem non ante Philostrati tempora fuisse constat. cf. Suidam s. v. *Μητροφάνης*.

referunt (cf. adn. XXV 3), sed Metrophanis aetas incertior est (cf. adn. XXIX 5). inde quod Harpocratio a Syriano ante Cornutum laudatur, qui Apsinem aetate praecedit, Harpocrationem vel Hermogeni aequalem fuisse vel eum consecutum esse colligimus. Cornutum inter Basilicum, Hermogene superiorem, et Apsinem fuisse supra statuimus. cum autem apud Syrianum eundem post Harpocrationem poni videamus, eum post Hermogenem et Apsinis temporibus propiorem fuisse persuasum habemus. hunc Cornutum auctorem Artis esse nunc probaturi sumus.

Proficiscendum nobis est ab eis, quae Cornutus a Lachare de membro docuisse traditur W VII 931 2 *φησὶν οὖν ὁ Κορνοῦτος· κῶλόν ἐστι μόριον λόγου συγκείμενον ἐξ ὀνομάτων δύο ἢ καὶ πλειόνων, τελειοῦν ⟨τὴν⟩ ἐπὶ μέρους διάνοιαν· εἶτα παρακατιὼν σαφέστερον τὸν λόγον ἐποίησεν ἐπιμνησθεὶς αὐτοῦ· κῶλον γάρ ἐστι διανοίας μέρος ἀπαρτίζον πρὸς ἕτερον κῶλον παρακείμενον· τὸ γὰρ ‹εἰ τὸν χορευτὴν οὐδὲ ὁ προσκαλέσας ἀζήμιος ἔσται› κῶλον μέν ἐστι σαφῶς, οὐκ ἂν δὲ εἰλικρινῶς, οὐδὲ τὴν ἐπὶ μέρους παρέστησεν ἡμῖν διάνοιαν μὴ προσλαβοῦσι· ‹τὸν δὲ χορηγὸν αὐτὸν οὐδὲ ὁ συγκόψας οὐ δώσει δίκην›.* Epitome 48 15 sententiam *κῶλον μὲν οὖν ἐστι διανοίας μέρος ἀπαρτίζον πρὸς ἕτερον κῶλον παρακείμενον* nobis pro fine *κώλου* venditat et idem atque Cornutus duorum membrorum exemplum adfert, sed pro verbis, quibus Cornutus duo membra coniungit, pauca inania exhibet. illam sententiam non genuinum finem *κώλου* esse ex ea ipsa concludendum erat, nam cum ad extremam vocabulum definiendum ipsum quasi notum usurpatur tum nomen quid sit *κῶλον* significans vel pronomen *τι* desideratur; neque enim *διανοίας μέρος* nominativus praedicativus, quem dicimus, sed accusativus e participio *ἀπαρτίζον* pendens est. e scholiis hanc sententiam a Cornuto ad praemissum *κώλου* finem explanandum adhibitam esse patefit. item sententia E 48 20, quae loco periodi definitionis est, *περίοδος δέ ἐστι λόγος διάνοιαν ἀπαρτίζων αὐτοτελῆ ἐκ κώλων συγκειμένη,* Cornuti periodi fini, quem in scholiis W VII 891 4 invenimus (cf. adn. XXVIII 3), explicationi fuisse videtur. huic rei testimonio est forma alterius participii *συγκειμένη*, quod Finckhius in *συγκείμενον* corrigendum esse coniecit. at genuina Cornuti verba *περίοδος δέ ἐστι διάνοιαν ἀπαρτίζουσα αὐτοτελῆ ἐκ κώλων συγκειμένη* fuisse, a posterioribus, qui haec verba pro fine periodi

ipso acciperent, *λόγος* insertum priusque participium transformatum esse probabilius est.

Dubitari potest, utrum verba Cornuti, cuius nomen frustra in Epitoma quaeras, et alius *κῶλον* finis eis E 48 $_{19}$ inclusus in Arte fuerint, an ab eo, qui Artem in epitomen redegit, addita sint. quae cum eo Epitomes loco, quem obtinent, minus apta videantur, facile pro additamento epitomatoris haberi possunt. E §§ 240—243 enim pauca de singularum orationis partium elocutione praescribuntur. tertio praecepto, quod de probationum elocutione est, illa verba adnectuntur, quia in eo termini *κῶλον* et *περιόδου* adhibentur. summo iure in eo offendas, quod inter brevissima elocutionis praecepta longiores explicationes horum terminorum positae sunt. at illa brevissima praecepta in locum uberiorum, quae aut prorsus excisa aut alios in locos traiecta sunt, ab epitomatore substituta esse adparebit. et mediis in his uberioribus praeceptis definitiones et explicationes membri et periodi fuisse probabile fiet. eum qui Artem epitomavit, verba E 48 $_{15-21}$ inseruisse eo minus credamus, quod eundem nusquam alibi excerptis Artis scientiam aliunde petitam immiscuisse deprehendimus. neque Artis epitomatorem, si verba, de quibus agitur, addidisset, ante verba Cornuti eius nomen aut talem indicem, qualem altera definitio membri prae se fert, omissurum fuisse veri simile est. quod Cornuti verba indice prorsus carent, nonnisi una ratione explicari posse putamus. ubicunque enim complures fines in Epitoma enumerantur, singulis nomina auctorum aut verba *ὥς ἔνιοι* vel similia praefixa sunt. priori *πίστεως* fini soli E § 143 index deest, cum alter finis in § 144 Alexandri esse dicatur. illam § 143 autem ab Artis auctore ipso conscriptam esse infra comprobabimus. inde colligimus ante Cornuti verba E § 242 nomen propterea non extare, quod Cornutus ipse Artis auctor erat. haec coniectura praecepto Cornuti a Syriano adservato stabilitur.

Cornutus a Syriano W IV 298, 843 status legales ante rationales ac primam quidem omnium amphiboliam collocasse dicitur. qua re ab auctoribus, quorum de statibus scripta novimus, valde dissensit. et Hermogenes et Quintilianus legales status post rationales et omnium extremam amphiboliam tractaverunt atque ubicumque Quintilianus quattuor status legales commemorat, amphibolia, quamquam ordo trium ceterorum saepe permutatur, ultima

est[1]. amphiboliam igitur post ceteros tres status legales poni rhetoribus tritum usitatumque fuisse videtur[2]. contrarium in Artis de legum solutione praecepto factum est, quod ratione habita quattuor statuum legalium conscriptum est. cuius verba E § 188 ita in P leguntur: *Τῶν δὲ ἀτέχνων πίστεων τοὺς μὲν νόμους ἢ ἀμφιβολίᾳ χρώμενοι καὶ οὐ τοῦτο εἶναι λέγοντες τὸ σημαινόμενον ἀλλ' ἕτερον, ἢ τῆς μὲν λέξεως ἀφιστάμενοι τὴν δὲ διάνοιαν ἐξετάζοντες τοῦ νομοθέτου ἐκ τῶν ῥηθέντων ἀλλ' ὅτι τὸ προκείμενον συλλογιζόμεθα, ἢ ἕτερον καὶ αὐτοὶ νόμον ἀντεισάγοντες, τὰ δὲ ψηφίσματα καὶ τοὺς χρησμοὺς καὶ τὰ συμβόλαια ὁμοίως ὥσπερ καὶ τοὺς νόμους λύσομεν.* primus leges solvendi modus *ἢ ἀμφιβολίᾳ .. ἀλλ' ἕτερον* respondet statu Amphiboliae (Quint. VII 9), secundus modus *ἢ τῆς .. τοῦ νομοθέτου* statu, qui Scriptum et voluntas dicitur (Quint. VII 6), ultimus modus *ἢ ἕτερον . . νόμον ἀντεισάγοντες* statu Legum contrariarum (Quint. VII 7). verbis *ἐκ τῶν ῥηθέντων . . συλλογιζόμεθα* denique leges solvendi modum exponi, qui statu Collectionis (Quint. VII 8) respondeat, veri simillimum est. cum enim omnia participia periodi supra adscriptae a verbo *λύσομεν* pendeant, sententia *ἐκ τῶν ῥηθέντων . . συλλογιζόμεθα* pro parenthesi habenda est, qua alter modus leges solvendi explicetur. at haec verba minime apta sunt ad illustrandum, quomodo quaestio legum latoris voluntatis instituenda sit. in qua non ex scripto quicquam colligitur, sed qua de causa quoque consilio lex data sit examinatur, ut rem, de qua agitur, huic legi subiciendam non esse demonstretur. in statu autem Collectionis *ἐκ τῶν ῥηθέντων συλλογίζεται*. cf. Quint. VII 8 3 ergo hic status (Collectio) ducit ex eo, quod scriptum est, id, quod incertum est (cf. Cic. de Inv. II § 148). itaque in Epitoma ⟨*ἢ*⟩ *ἐκ τῶν ῥηθέντων . . . . συλλογιζόμενοι* scribendum esse conicimus. quemadmodum corrupta verba codicis P *ἀλλ' ὅτι τὸ προκείμενον* sananda sint, non videmus. recte particulam *ἢ* additam et participium *συλλογιζόμενοι* restitutum esse confirmatur Apsinis

---

1 Inst. III 6 46, 88; VII 6—9. cf. Hermog. Sp II 140 16—141 18, 168 sqq.

2 Hermagoras, qui primus quattuor status legales distinxit, amphiboliam tertio, syllogismum ultimo loco collacavit. Cornificius II § 13—18 eodem ordine usus est sed inter illas partes constitutionis legitimae duas alias inseruit. apud Ciceronem de Inv. II § 116 controversiarum in scriptis versantium, quas dicit, controversia ex ambiguo nata prima est. post horum igitur rhetorum tempora amphibolia ultimo loco collocari coepta est.

loco Sp I 369 $_{21-26}$ in commentarium ad E 37 $_{6}$ transscripto. ubi leges *ἐκ τοῦ ὁμοίου ἢ συλλογιστικῶς* solvi docetur. qua de causa E § 188 verbis *⟨ἢ⟩ .. συλλογιζόμενοι* tertium leges solvendi modum significari persuasum habemus.

Quae cum ita sint, dubium non est, quin is, qui Artis de legum solutione praeceptum dedit E § 188, quattuor statuum legalium rationem habuerit. ordinem autem horum statuum secutus est, qui rhetoribus inusitatus neque vulgaris erat. unius rhetoris proprium fuisse amphiboliam primam collocare a Syriano fertur. eundem rhetorem Syrianus post Harpocrationem enumerat, qui ad Artem componendam adhibitus est; eiusdem verba alio loco Artis extitisse statuimus. iure ergo Cornuto Artem vindicasse nobis videmur.

CORNUTI ARTIS RESTITUTIO.

Quoniam et Cornuti Artis excerpta apud complures rhetores deteximus et in Epitoma, quam edimus, saepe quaedam deesse quaedam falsum locum habere cognovimus, illam Artem restituere suscepimus ac primum quidem qui eius titulus quaeque dispositio fuerit sciscitandum est.

Titulum codice P traditum *Τέχνη τοῦ πολιτικοῦ λόγου* non genuinum esse primo obtutu patet. nam ars, qua de oratione civili ageretur, more rhetorum *Τέχνη ⟨περὶ⟩* vel *Τέχνη ⟨ῥητορικὴ περὶ⟩ τοῦ πολιτικοῦ λόγου* inscripta esset. Finckhius titulum similem ei, sub quo Apsinis ars saepius laudatur[1], hunc fuisse coniecit[2]: *Τέχνη περὶ τῶν τεσσάρων τοῦ πολιτικοῦ λόγου μερῶν.* huius tituli indicia esse et initium et finem libelli. e verbis extremis Epitomes 50 $_{33}$ *τοσαῦτα περὶ τῶν τοῦ λόγου μερῶν* sane colligendum est libellum non titulum codicis P prae se tulisse, ad quem solis verbis *τοσαῦτα περὶ τοῦ πολιτικοῦ λόγου* respici oportebat. potissimum Finckhii coniecturae fides additur primo libelli enuntiato *ὁ πολιτικὸς ἤτοι δικανικὸς λόγος εἰς τέσσαρα μέρη διαιρεῖται τὰ προκείμενα.* in quo post verbum *διαι-*

[1] W IV 302 $_{10}$ = VII 721 $_{2}$ *ὡς καὶ Ἀψίνης φησὶν ἐν τῇ περὶ τῶν μερῶν τοῦ πολιτικοῦ λόγου τέχνῃ*; W IV 712 $_{21}$ *ὡς Ἀψίνης ἐν τῇ περὶ τῶν μερῶν τοῦ λόγου τέχνῃ.*

[2] *Jahrbb. f. Phil.* LXIX 1853 p. 64.

ρεῖται pro nominibus quattuor orationis partium, quae desiderantur et in HSae[1] excerpto Artis W VI 511 $_{6}$ leguntur, verba *τὰ προκείμενα* poni non poterant, nisi quodam modo iam libellus de quattuor orationis partibus fore dictus esset. itaque dubitari nequit, quin index Cornuti Artis talis fuerit, qualem Finckhius voluit, et epitomator Artis eundem receperit atque ad hunc spectans enumerationem orationis partium cum verbis *τὰ προκείμενα* mutaverit. cum autem incertum sit, num verba inscriptionis, qua Cornutus opus suum instruxit, prorsus eadem fuerint, quae Finckhius proposuit[2], nos haec verba operi praefigere non ausi in titulo *Κορνούτου τέχνη ῥητορική* acquiescendum esse censemus.

Titulum, quem P exhibet, post epitomatoris tempora libello praescriptum esse eo confirmatur, quod indices singulorum capitum eadem aetate additi sunt. in P quattuor Epitomes capita distiguuntur, quorum suus cuique index est: primo *περὶ προοιμίων*, secundo *περὶ διηγήσεων*, tertio *περὶ πίστεων*, quarto *περὶ ἐπιλόγων*. epitomator autem Cornuti Artis secundum caput infra *τὸν περὶ εὑρέσεως δεύτερον τόμον* nominavit. verbis enim E 49 $_{17}$ sq., quae epitomatori deberi statim demonstrabitur, Harpocrationis de narrationis elocutione praecepta inter eiusdem de prooemii et argumentationis elocutione praecepta omissa esse dicuntur, quia *ἐν τῷ περὶ εὑρέσεως δευτέρῳ τόμῳ* descripta essent. in Epitoma ipsa post Alexandri de narrationis elocutione praecepta (§§ 136 sq.), quae desinunt in verba *ὡς μὲν οὖν καθόλου εἰπεῖν, τοιαύτη ἡ τῆς διηγήσεως ἑρμηνεία τε καὶ ὑπόκρισις,* incipiunt illa Harpocrationis praecepta, ad quae verba E 49 $_{17}$ respiciunt, ab enuntiato *ὡς δὲ κατὰ μέτρον διηγηματικὸν λέγειν.* cum hoc enuntiatum iacturam complurium vocabulorum accepisse perspicuum sit, dubitamus an inter perdita, quae integra refici posse desperandum est, verba *ὡς Ἁρποκρατίων φησὶ* fuerint. nam §§ 138—142 non iam Alexandri sed Harpocrationis esse haud uno argumento evincitur. Alexander generatim de elocutione orationis partium praescribere solet (cf.

---

[1] Litteris HS vetustiorem illum Hermogenis de Inv. librorum scholiastam significamus, cuius excerpta Artis in anonymis Scholiis, anonymis Prolegomenis I, commentario Pseudogeorgiano esse demonstravimus.

[2] Alii similes tituli libello haud minus apti sunt ut *Τέχνη περὶ τῶν τοῦ λόγου μερῶν*, qui extremis Epitomes verbis melius quam Finckhii titulus respondet, vel *Τέχνη περὶ προοιμίων καὶ διηγήσεων καὶ πίστεων καὶ ἐπιλόγων* (cf. W IV 35 $_{9}$, VII 19 $_{28}$), qui ad prima Epitomes verba optime quadrat.

§§ 196, 221, 238), Harpocratio de speciebus epilogi diversa elocutionis praecepta dat §§ 252, 253 et eadem ratione §§ 138—142 de elocutione narrationis agitur. Alexander sua elocutionis praecepta exemplis non illustrat, Harpocratio, quamquam § 251 exemplis non opus esse dicit, § 246 prooemii exemplum adfert et §§ 140, 141 narrationis exempla inveniuntur. Harpocrationis verba E 49_{28} referenda sunt ad verba 26_{18}. quid? praeceptum § 142, ut obscuritas, si ea uti e re sit, non tam elocutione quam turbato rerum ordine efficiatur, nonne eidem Harpocrationi attribuendum est, qui in rebus infirmis voluntariam obscuritatem adhiberi iusserit § 104? secundum ergo Epitomes caput, quippe in quo Harpocrationis de narrationis elocutione praecepta detegantur, ab epitomatore *τὸν περὶ εὑρέσεως δεύτερον τόμον* nominatum esse patet. at epitomator ulli capiti titulum praefixisse omnino negandus est, quoniam verba E 1_{7-8}, 10_{7-8}, 27_{7-8}[1] eius modi sunt, ut tituli *περὶ προοιμίων, περὶ διηγήσεων, περὶ πίστεων* supervacanei sint. altero l. l. tantum abest, ut titulus, qui in P inter verba *ταῦτα περὶ προοιμίων* et *περὶ δὲ τῆς διηγήσεως τοσαῦτα εἰπεῖν ἔχομεν* extat, a nobis desideretur, ut nexum sententiarum eo perturbari concedendum sit. nam illa verba, quae discindit, haud minus arcte cohaerent quam partes similium transitionum E 32_{3}, 44_{11} neque separari possunt. sin autem quattuor tituli codicis P accipiuntur, ante § 240 quintus desideratur, cum ea quae de elocutione omnium orationis partium §§ 240—254 exponuntur, non pro parte capitis, quod *περὶ ἐπιλόγων* inscribitur, haberi possint. itaque quattuor capitum titulos codice P traditos post epitomatoris tempora in Epitomen irrepsisse pro certo habemus. epitomatorem nihilo minus quendam Epitomes locum verbis *ἐν τῷ περὶ εὑρέσεως δευτέρῳ τόμῳ* significasse eo explicandum est, quod in Cornuti Arte ea pars cuius excerptis Harpocrationis de narrationis elocutione praecepta adnexa sunt, nomen secundi de inventione tomi gessit. ex quo consequens est Cornutum quattuor de inventione tomos et unum de elocutione tomum distinxisse. nam priores non *περὶ εὑρέσεως τόμοι* appellati essent, nisi eis *περὶ λέξεως τόμος* oppositus esset.

Pariter atque Alexandri et Harpocrationis de narrationis elocu-

[1] Sub finem tertii capitis E 39_{14} post verba *τοσαῦτα καὶ περὶ πίστεων* in proximis epilogum tractatum iri non indicatur, sed hic talia qualia supplevimus, excidisse e locis 10_{7}, 27_{7} colligendum est.

tione praecepta in Epitoma excerptis secundi de inventione tomi continuantur, Alexandri de argumentationis, recapitulationis, adfectuum elocutione praecepta (§§ 196, 221, 238[1]) excerptis suorum de inventione tomorum adglutinata sunt. in Cornuti autem Arte haec omnia illo *περὶ λέξεως* tomo comprehensa fuisse excerptis huius tomi comprobatur, quae §§ 240—253 leguntur. primum breviora de elocutione quattuor orationis partium praecepta adferuntur, tum longiora de trium partium elocutione praecepta Harpocrationis, denique quae Dionysius in Lysiae iudicio de elocutione omnium partium praescripserit. breviorum illorum praeceptorum primum (§ 240) ex Alexandri de prooemii elocutione verbis, quae HS pleniora in Cornuti Arte legit (cf. W VII 52 $_{11}$, V 382 $_{7}$), secundum (§ 241) ex Alexandri de narrationis elocutione verbis excerptum est, quae in Epitoma ipsa (§ 136) integriora reperiuntur. Cornutus ipse et Alexandri praecepta tota recepisse et alio loco vilissima eorum excerpta fecisse credendus non est. epitomator autem simili ratione aliud Cornuti Artis praeceptum tractasse deprehenditur. ea enim, quae in Arte de differentia prooemii et epilogi dicta erant, E §§ 19, 20 fere ad verbum descripta sunt et § 237 pauca ex eisdem electa repetuntur[2]. itaque Cornutum uno tantum loco integra Alexandri de elocutione praecepta exhibuisse veri simillimum est. quae in tomo *περὶ λέξεως* a Cornuto coniuncta esse nobis persuasimus, quia et haec tomis *περὶ εὑρέσεως* inscriptis aspergi minus aptum erat neque inter excerpta primi de inventione tomi, quae E §§ 1—39 continentur, Alexandri de elocutione praecepta inveniuntur. contra in excerptis Cornuti de elocutione tomi reliquiae omnium praeceptorum, quae Alexander de elocutione dedit, extant. §§ 240, 241 excerpta Alexandri praeceptorum esse statuimus. verbis § 243 praeceptum Alexandri[3] subesse Nicolai excerpto Cornuti Artis Sp III 477 $_{5}$ confirmatur. unde iure concluditur § 242 et § 196 ex uno et eodem Alexandri de argumen-

[1] Sola praecepta §§ 136, 221 Alexandri nomen prae se ferunt, eidem cetera praecepta enumerata et praecepta prooemium spectantia W VII 52 $_{11}$, V 382 $_{7}$, et praecepta epilogum spectantia apud Nicolaum Sp III 477 $_{5}$ vindicanda esse omnibus inter se comparatis conspicuum est.

[2] Inter haec duo praecepta sunt, quae epitomator priore loco omisit, scl. ut prooemii elocutio *ἠπία* sit et ut in prooemio adfectus excitentur, in epilogo excitati augeantur. utrumque praeceptum etiam Marcellini Artis excerptum W IV 428 $_{4}$ exhibet.

[3] Cum hoc praecepto, quo generatim de epilogi elocutione agitur, ea quae Alexander specialiter de recapitulationis et adfectuum elocutione praescripsit, arcte cohaesisse probabile est. cf. infra restitutionem Artis de elocutione tomi.

tationis elocutione praecepto excerpta esse[1]. quae cum ita sint, dubium non est, quin epitomator singula de elocutione praecepta Alexandri extremis excerptis singulorum de inventione tomorum adnexuerit. ex quo intellegitur eundem Harpocrationis verba §§ 138—142 a sede, quam in Cornuti Arte tenebant inter Harpocrationis de prooemii et argumentationis elocutione praecepta, removisse et propterea enuntiatum *περὶ δὲ τῆς διηγήσεως εἴρηται ἐν τῷ περὶ εὑρέσεως δευτέρῳ τόμῳ* E 49 $_{17}$ inseruisse.

Nunc quinque tomos, in quos Cornuti Artem divisam esse demonstravimus, restituere aggrediamur. membra ab epitomatore luxata in ordinem genuinum redigere et quae ab epitomatore excisa vel breviata sint patefacere conabimur.

ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ ΤΕΧΝΗ ΡΗΤΟΡΙΚΗ

Περὶ εὑρέσεως πρῶτος τόμος.

Initium Artis multo purius quam in E apud HSam legitur W VI 511 $_4$:

. . *ὁ πολιτικὸς λόγος εἰς τέσσαρα μέρη διαιρεῖται· προοίμιον, διήγησιν, πίστιν, ἐπίλογον· χρῄζομεν γὰρ ἐν τῷ πολιτικῷ λόγῳ προοιμίων μὲν πρὸς τὸ προσεχεστέρους ποιῆσαι τοὺς ἀκροατάς, διηγήσεως δὲ πρὸς τὸ διδάξαι τὸ πρᾶγμα, τῶν δὲ πίστεων πρὸς τὸ ἀνασκευάσαι καὶ κατασκευάσαι*[2] *τὸ προκείμενον, τῶν δὲ ἐπιλόγων πρὸς τὸ ἐπιρρῶσαι τὸν ἀκούοντα εἰς τὴν ὑπὲρ ἡμῶν ψῆφον.* Epitomes verba *ἤτοι δικανικὸς* inter *πολιτικὸς* et *λόγος* iure desunt, quoniam Cornutus *πολιτικὸν λόγον* eundem atque *δικανικὸν* esse non censebat. nam in Arte etiam de oratione deliberativa praecepta tradit, ut E §§ 13, 14, 43[3], et saepe orationes huius generis e. g. adfert, ut E 8 $_{15}$, 26 $_{26}$, 43 $_{16}$. itaque nomine *πολιτικοῦ λόγου* et iudicialem et deliberativam orationem comprehendisse putandus est, unde verba *ἤτοι δικανικὸς* ab epitomatore ipso aut postea inserta esse consequitur.

[1] Verba § 242 eodem modo atque praecepta de quibus in adn. XXXVI 2 disseruimus, superiore loco § 196 praetermissa esse videntur.

[2] *κατασκευάσαι ἢ ἀνασκευάσαι* P exhibet. coniunctio *ἢ* apud HSam in *καὶ* corrupta est, ordo terminorum in P librarii culpa inversum esse Epitomes excerpto W VII 26 19 adparet, ubi *ἀνασκευάζει ἢ κατασκευάζει* legitur. cf. de ordine horum terminorum E 36 12.

[3] Orationem demonstrativam Cornutus non curat Theodorum ut videtur secutus, qui circa civiles demum quaestiones i. e. iudiciales et deliberativas oratores iudicavit versari et partem laudativam excludit. cf. Quint. II 15 20, 21.

Cornutum nomina quattuor orationis partium et verba *ἐν τῷ πολιτικῷ λόγῳ*, quae HS exhibet, scripsisse et epitomatorem in eorum locum participium *τὰ προκείμενα* et pronomen *ἐν αὐτῷ* substituisse facile tibi persuadebis, cum has mutationes studio breviandi factas esse appareat[1].

HSae enuntiato paulo inferiori W VI 511 $_{19}$ *ἀνάγκη οὖν τὴν ἀρχὴν ἐκ προοιμίων ποιήσασθαι εἶθ' οὕτως ἐφεξῆς τὰ λοιπὰ παραδοῦναι* eadem Cornuti verba subsunt atque Epitomes enuntiato § 2, sed ubi Cornuti verba integriora servata sint discerni nequit. ante illud enuntiatum ab HS causa exponitur, cur primum de prooemio agendum sit W VI 511 $_{15}$ *φασὶ τοίνυν, ὡς ὁ λόγος σώματι ἔοικεν, ἀναλογεῖ δὲ τῇ κεφαλῇ τὸ προοίμιον, αἱ διηγήσεις τοῖς μετὰ τὴν κεφαλὴν, οἱ δὲ ἀγῶνες τοῖς ἔτι κατωτέρω, τέλει δὲ σώματος ὁ ἐπίλογος*. hanc sententiam ipsam quoque Cornuti Arti deberi probabile est. nam optime ad proximum enuntiatum quadrat neque Cornuto indigna est. quem simile quoddam scripsisse eo facilius credatur, quod E 6 $_{18}$ Apollodoreorum prooemii cum capite comparationem commemorat. sola extrema verba inde ab *αἱ διηγήσεις*, quae stultiora sunt, quam ut Cornuto vindicentur, neque eius Arti, cui *ἀγῶνες* ignoti sunt, apta erant, pro additamento HSae habenda sunt.

Ab HS inter enuntiatum, quo primum prooemium tractatum iri promittitur (W VI 511 $_{19}$ = E § 2), et etymologiam nominis prooemii (W VI 511 $_{22}$ = E § 4) sententia W VI 511 $_{20-22}$ inserta est, quae Hermogenis doctrinam inventionis spectat. HSam apud Cornutum illi enuntiato, quod quasi propositionem thematis habet, etymologiam continuatam legisse certum est, cum E § 3, qua Alexander eis repugnasse dicitur, qui prooemium et epilogum ex eisdem capi docebant, genuinum locum non occupet. Cornutus enim, qui in ceteris de inventione tomis nihil de singulis orationis partibus disserit, antequam earum definitiones adferat, de prooemii topis non egisset, antequam quid esset prooemium exposuisset. Cornutus igitur ab etymologia nominis prooemii, quam definitionibus praecedere par erat, post propositionem thematis incepisse, epitomator ordinem invertisse putandus est. haec etymologia ab epitomatore purior traditur quam ab HS W VI 511 $_{22}$ et VII 52 $_{17}$, qui eam utrobique

[1] Eadem de causa Epitomes verba 1 $_{5}$ *τοὺς δὲ ἐπιλόγους ἐπάγομεν* genuina Cornuti esse et ab HS in *τῶν δὲ ἐπιλόγων* mutata esse credimus.

additamentis depravavit (cf. adn. XIII $_2$). tamen ex huius verbis Epitomes verba suppleri possunt. post *κυρίως* E 1 $_{13}$ ⟨*μὲν*⟩ secundum W VII 52 $_{17}$ et post *τούτου* 1 $_{16}$ ⟨*δὲ*⟩ secundum W VI 511 $_{27}$ restituendum est.

Etymologiam in Epitoma excerpta eius Cornuti Artis partis excipiunt, qua definitiones prooemii continebantur. Cornutum complures definitiones prooemii adtulisse constat, nam uniuscuiusque ceterarum orationis partium complures definitiones enumeravit et duae prooemii definitiones ex eius Arte descriptae deprehenduntur:
I apud Nicolaum Sp III 450 $_{18}$ = W II 6 $_{17}$, 123 $_{21}$ *προοίμιόν ἐστι λόγος παρασκευάζων τὸν ἀκροατὴν καὶ οἰκείως διατιθεὶς εἰς τὸν ὑποκείμενον λόγον*[1].
II apud HSam W VII 52 $_{16}$ (cf. adn. XIII $_1$) *προοίμιόν ἐστι λόγος παρασκευάζων τὸν ἀκροατὴν εἰς ὑποδοχὴν τῆς ὑποθέσεως.*
epitomator ex hac Artis parte nihil nisi Neoclis verba recepit. cui E §§ 5 et 6 adsignandae sunt, quia adfectus finis E 2 $_2$ Neoclis esse § 223 fertur. Neocles autem solis verbis *προοίμιόν ἐστι λόγος κινητικὸς ἢ θεραπευτικὸς τῶν τοῦ ἀκροατοῦ παθῶν* prooemium definivisse putandus non est. nam haec definitio minime exacta esset, sed eadem ad epilogum quadraret, quae oratio auditoris adfectus movens vel placans nominari potest. accedit quod e proxima Epitomes sententia *παρασκευάσαι γὰρ ἀκροατὴν ἀδύνατον μὴ κινήσαντα ἢ θεραπεύσαντα τὰ ἐν αὐτῷ πάθη* Neoclem prooemio auditorem praeparari antea dixisse colligendum est. supra vidimus (cf. adn. XII $_1$) Neoclem duas enthymematis definitiones dedisse, quarum altera W VII 762 $_{18}$ enthymematis naturam ita definit, ut eadem ad epichirema referri possit, altera enthymemati soli apta est. Neoclem igitur etiam duas prooemii definitiones dedisse et ei definitionem ab HS servatam deberi veri simile est.

In Cornuti Artis parte, cuius excerpta E §§ 7, 8 exhibent, unde prooemia capienda essent quaerebatur. ad eandem quaestionem E § 3 pertinet, quam ab epitomatore falso loco collocatam esse statuimus. apud Cornutum igitur §§ 7, 8 et § 3 coniunctas fuisse probabile est. cum E § 7 et Cornuti Artis excerpta apud Nicolaum Sp III 473 $_{26}$ = W II 610 $_{32}$ atque apud HSam W VII 54 $_{18}$ et De-

[1] Hanc definitionem Apollodoreorum esse suspicamur, cum ei definitioni *ἔργου προοιμίου* respondeat, quam in commentario ad E 7 $_3$ Apollodoreis adscripsimus.

mosthenis scholium ad or. 54 § 1 comparanda sunt. qua re in Epitoma rectum ordinem duorum ultimorum praeceptorum 2 $_{16,\ 19}$ inversum, genuinam praepositionem *ἀπὸ* semper in *ἐκ* et verba *ἀφ' ἑαυτοῦ* bis 2 $_{8,\ 10}$ in *ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ* mutata, exempla breviata et titulum unius orationis 2 $_{20}$ omissum esse intelleges. ante verba, quae E § 8 leguntur, plura praetermissa esse liquet. de quibus nihil sciri potest nisi in eis de prooemiis actum esse, quae a quibusdam *περιστατικὰ* nominabantur. hoc nomine certe ea prooemia, quae *ἀπὸ τῶν περιστατικῶν λαμβάνεται* (cf. W VII 67 $_{13}$), significabantur. suspicari igitur licet a Cornuto Apollodoreorum de prooemiis faciendis praecepta hoc loco tradita esse. nam Apollodorum prooemia esse ex eis, ex quibus omnes controversiae constarent, factis, dictis, causis, temporibus, locis, occasionibus, ceteris i. e. *τοῖς περιστατικοῖς* docuisse Quint. IV 1 $_{50}$ tradit.

Quomodo auditores dociles attenti benevoli fiant, in Cornuti Artis excerptis, quae E §§ 9—18 continent, exponitur. singulis de hac re praeceptis praemissa sunt enuntiata *σκοπὸς δὲ τοῦ προοιμίου τὸ τοιόνδε παρασκευάσαι τὸν ἀκροατήν· τέλος δὲ τὸ προσοχὴν καὶ εὐμάθειαν καὶ εὔνοιαν ἀπεργάσασθαι*[1]. e prioris enuntiati pronomine *τοιόνδε* aut infinitivum secutum esse, quo illud explicabatur, aut enuntiatum praecessisse, ad quod respiciebat, colligendum est. locum ab epitomatore resectum esse eo confirmatur, quod ad eundem aliae definitiones *ἔργου* et *τέλους προοιμίου* revocandae sunt, quas e Cornuti Arte fluxisse demonstravimus:

I apud Nicolaum = Doxop. W II 123 $_{23-25}$ *ἔργον δὲ αὐτοῦ (προοιμίου) τό τε προσεκτικοὺς τοὺς ἀκροατὰς παρασκευάζειν πρὸς τὰ ῥηθησόμενα καὶ τὸ εὔνοιαν ἢ μῖσος ἐναπεργάζεσθαι*[2].

II apud HSam W VII 52 $_{19}$sq. *τέλος δὲ τοῦ προοιμίου τὸ παρασχεῖν εὐήκοον πρὸς τὰ λοιπὰ τὸν ἀκροατήν.*

inter definitionem *τέλους* in Epitomam receptam et proximum

---

[1] Haec *τέλους* definitio in Nicolai Prog. Sp III 450 $_{20}$ = W II 7 $_{1}$ transscripta est, ubi ei verba praefixa sunt *ἔργον δὲ αὐτοῦ (προοιμίου) καὶ τέλος· τὸ γὰρ αὐτό τινες ᾠήθησαν.* Apollodoreos *ἔργον* idem atque *τέλος* esse sumpsisse verbis E 7 $_{7}$ cognoscitur, sed his definitionem a Nicolao descriptam adsignare Quintiliani verbis IV 1 $_{50}$ vetamur.

[2] Cum haec definitio Apollodoreis vindicanda sit (cf. commentarium ad E 7 $_{8}$), miramur, quod non huic verba *ἔργον — ᾠήθησαν*, de quibus in proxima adn. disseruimus, praefixa sunt. dubitamus igitur, an Doxopater et anonymus Aphthonii interpres Nicolai verba perturbaverint et ea hunc in modum restituenda sint: *ἔργον — ᾠήθησαν* (W II 7 $_{1-2}$) *τό τε προσεκτικοὺς — ἐναπεργάζεσθαι* (W II $_{23-25}$), *⟨ἢ⟩ τὸ προσοχὴν — ἀπεργάζεσθαι* (W II 7 $_{2-3}$).

enuntiatum E 3 $_{6}$ *εἰδότες γὰρ οἱ ἀκούοντες περὶ ὧν οἱ λόγοι εὐμαθέστεροι γενήσονται* quaedam excisa esse patet, nam hoc enuntiatum rationem sententiae alicuius praecedentis habere coniunctione *γὰρ* indicatur. at quae hic deleta sint et quae in inferioribus praeceptis ab epitomatore vel extincta vel mutata sint, statui non potest, cum nemo hanc Cornuti Artis partem compilaverit.

Proxima Epitomes particula §§ 19, 20 de differentia prooemii et epilogi est. cum ea, quae de hac re in Cornuti Arte legebantur, non solum Epitomes l. l. sed etiam in excerptis quarti de inventione tomi (E § 237) epitomata et eadem a Marcellino expilata sint, qui praeter haec nullum Cornuti Artis praeceptum nisi ex eius quarto de inventione tomo receperit, dubitari potest, ubi Cornutus differentiam prooemii et epilogi tractaverit. quem de hac differentia in primo de inventione tomo egisse pro certo habemus, quoniam in eodem tomo quid inter prooemium et narrationem argumentationemque interesset paucis exponebatur. Epitomes verba ad hanc rem pertinentia (§ 36) cum parte, quae de differentia prooemii et epilogi erat, a Cornuto coniuncta, ab epitomatore separata esse veri simillimum est. nam his verbis locus, quem in Epitoma obtinent, non convenit et ea apud Cornutum praeceptis, quae in Epitoma inde a § 21 incipiunt, antecessisse HSae excerptis W VII 52 $_{3-14}$ confirmatur[1]. eisdem excerptis, quae nonnisi minutiis ab E § 36 dissentiunt, hac § integra Cornuti Artis verba servari cognoscimus. quae Cornutus de differentia prooemii et epilogi scripserit, ex tribus eorum excerptis E §§ 19, 20 et 237 et apud Marcellinum W IV 428 $_{4-29}$ ita fere restituenda sunt:

διαφέρει δὲ τοῦ ἐπιλόγου τὸ προοίμιον, ὅτι ἐν μὲν τῷ προοιμίῳ τὸ σχῆμα καὶ τὴν ἑρμηνείαν μέτριον εἶναι δεῖ καὶ ἤπιον καὶ ὡς ἂν εἴποι τις τιθασσόν· ἐπειδὴ γὰρ ἐν ἀρχῇ νήφουσι μᾶλλον οἱ ἀκροαταὶ καὶ οὔπω ἀνακεκίνηται αὐτῶν τὸ πάθος, ὁμοιοπαθεῖν δεῖ τοῖς ἀκούουσι καὶ ἠρέμα προβιβάζειν τό τε ἑαυτῶν καὶ τὸ τῶν ἀκροατῶν πάθος· ἐν δὲ τῷ ἐπιλόγῳ τὸ σχῆμα συγκεκινημένον καὶ πολλὰς μὲν ἐμβοήσεις ἔχον,

[1] Haec excerpta eundem ordinem, quem loci compilati Cornuti Artis sequebantur, servasse videntur. praeceptum enim de praetermissione prooemii W VII 52 $_{8}$ praecepto elocutionis 52 $_{11}$ et hoc praecepto actionis 52 $_{13}$ apud Cornutum praecessisse certum est. accedit quod excerpta simili ratione ab HS facta W VII 729 $_{7}$—730 $_{6}$ ipsa quoque ordine Cornuti Artis locorum, qui eis subsunt, utuntur.

πολλοὺς δὲ σχετλιασμούς[1], *τήν τε ἑρμηνείαν συγκειμένην ἐκ τροπικῆς μᾶλλον*[2] *καὶ σημειώδους λέξεως*[3] *δυναμένης μέντοι πεσεῖν εἰς πολιτικοὺς λόγους. ἔτι δὲ καὶ τούτῳ διαφέρει, ὅτι πολλὰ τῶν ἐν τοῖς προοιμίοις λεχθέντων οὐκέτ' ἐν τοῖς ἐπιλόγοις λεκτέον, οἷον ὑποπτεύεταί τις διὰ περιεργίαν ἢ διὰ πολυπραγμοσύνην εἰσερχόμενος τοὺς ἀγῶνας, λυθείσης τῆς ὑποψίας ἐν τῷ προοιμίῳ οὐκέτι ἀνάγκη ἐν τῷ ἐπιλόγῳ περὶ τούτου λέγειν, καὶ ἄλλαι τινές εἰσι προοιμιακαὶ ὗλαι, αἵτινες ὅταν διαπεραιωθῶσιν ἐν τοῖς προοιμίοις, περιττὸν ποιοῦσιν ἐν τοῖς ἐπιλόγοις τὸν περὶ ἑαυτῶν λόγον. οὐ μόνον δὲ τῶν προοιμίων εἰσί τινες ὗλαι, αἷς οὐ χρώμεθα ἐν τοῖς ἐπιλόγοις, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐπιλόγων, ὧν οὐκ ἔστιν ἐν τοῖς προοιμίοις χρεία, οἷον περὶ τῶν κεφαλαίων οὐκ ἔχει καλῶς τὸ τὰς ὑπολήψεις ἐν τοῖς προοιμίοις λαμβάνειν· ἑλκοποιήσομεν γὰρ τὸ προοίμιον· ἐν δὲ τοῖς ἐπιλόγοις ἀνάγκη πᾶσα ἕν τι λαμβάνειν αὐτῶν εἰς ἐπίρρωσιν ἢ παραίτησιν. ἔτι δὲ καὶ τούτῳ διαφέρει, ὅτι ἐν μὲν τῷ προοιμίῳ πάθος ἐμποιῆσαι δεῖ, ἐν δὲ τῷ ἐπιλόγῳ προϋπὸν αὐξῆσαι καὶ ἐπιρρῶσαι*[4].

Ut cognoscatur, quae dispositio in reliqua parte primi de inventione tomi fuerit, extremi tomi secundi excerpta inde a § 113 conferenda sunt. in quibus ante Alexandri et Harpocrationis de narrationis elocutione verba, quae ad quintum tomum Cornuti Artis releganda sunt, quattuor partes distinguuntur. prima (§§ 113—123) quaeritur utrum narrationem praetermittere liceat necne, secunda (§§ 124—131) quo loco narratio ponenda sit, tertia (§§ 132, 133) utrum narratio dividi possit necne, quarta (§§ 134, 135) num plures narrationes in una eademque causa sint. primae et ultimae parti Cornuti Artis primi de inventione tomi excerpta §§ 21—35

[1] Verba apud Marcellinum vocabulo *σχετλιασμοὺς* continuata W IV 428 14—16 *καὶ τὰ μὲν — τὴν φράσιν* non e Cornuti Arte repetita sunt, sed et haec et verba Artis excerpto adnexa W IV 428 29—30 *διαφέρει — αὔξει* paraphrasis Hermogenis verborum Sp II 149 11 sqq. sunt. cf. Marcellinum W IV 421 5—7.

[2] Cf. Alexandri praecepta E §§ 238, 243.

[3] Cf. Alexandri praeceptum E § 240.

[4] Hanc sententiam, quam Epitome nonnisi in excerptis quarti de inventione tomi 47 11 exhibet, inter ea fuisse, quae a Cornuto in primo de inventione tomo de differentia prooemii et epilogi dicebantur, Marcellinus testatur, qui verba suo loco legisse et hac re commotus esse videtur, ut W IV 428 29 paraphrasin similium Hermogenis verborum, de quibus cf. supra adn. 1, pro illis substitueret. cf. adn. XXXVI 2.

et §§ 37—39 respondent. Cornuti Artis partem, qua de *τάξει* prooemii agebatur, ab epitomatore omissam, ab HS autem descriptam esse supra statuimus. dubitari igitur nequit, quin ab epitomatore quarta quoque pars, in qua quaestio instituebatur, prooemiumne dividi posset, excisa et hae quattuor partes primi de inventione tomi apud Cornutum eundem ordinem atque respondentes partes secundi tomi secutae sint. ex quo intellegitur Epitomes verba § 36, quae apud Cornutum cum eius de differentia prooemii et epilogi verbis cohaesisse sumpsimus, non suum locum habere sed ab epitomatore eo, ubi alia resecuisset, translata esse.

In Epitomes parte, quae de praetermissione prooemii est, primum praeceptum datur non semper prooemium faciendum esse et quattuor causae prooemii praetermittendi enumerantur §§ 22—25. et quadripartitio[1] et verba E 6 $_5$, quae ad Neoclis definitionem prooemii supra tractatam respiciunt, testimonio sunt haec omnia Neocli deberi. tum praeceptum Apollodoreorum, ut semper prooemio utendum sit, adfertur, quod et rationes ab illis adlatae et earum refutationes ab Alexandro scriptae sequuntur §§ 26—35. verba Apollodoreorum et Alexandri, quibus de prooemii praetermissione agitur, ab epitomatore resecta esse uno loco in propatulo est. cum enim Alexander, qui postquam principia adversariorum doctrinae paucis impugnavit, singula argumenta eorum ab infimo incipiens refellit, sententiam *πῶς ⟨ἂν⟩ ἡμῖν ἡ διήγησις παραδεχθείη μὴ προπαρασκευασμένου τοῦ ἀκροατοῦ τῷ προοιμίῳ πρὸς τὴν ἀκοήν* aggrediatur § 35, eiusmodi sententia inter Apollodoreorum argumenta desideratur. quantum in hac parte epitomator ab Artis Cornuti verbis discesserit statui non potest.

Cornuti Artis de *τάξει* prooemii partem, quae Alexandri refutationem Apollodoreorum de prooemii usu praecepti excipiebat, HS excerpsit W VII 53 $_{6-22}$ = VI 512 adn. 44 *τὸ προοίμιον κατὰ μὲν τοὺς Ἀπολλοδωρείους τὴν πρώτην τάξιν τοῦ λόγου ἐπέχει· εἰ γὰρ προσοχῆς, φασί, τῶν ἀκουόντων ἐστὶ ποιητικὸν πρὸς τὰ λεχθῆναι μετὰ ταῦτα ὀφείλοντα, πᾶσα ἀνάγκη αὐτὸ πρὸ τῶν ἄλλων*

[1] Quantopere Neocles quadripartiendi studiosus fuerit, paucis exemplis illustremus. Stoicorum quadripartitionem adfectuum adhibuit § 224, quattuor causas propositionis usus enumeravit §§ 162—165, quattuor species recapitulationis invenit § 214, quattuor res fine comprehendi, quattuor ei *παρακείμενα* esse dixit § 172, quattuor modis *τὸ συμφέρον* e bonis et malis fieri contendit § 180, qua re ab omnibus aliis rhetoribus discrepat (cf. commentarium ad § 180).

τάττεσθαι. Ἀλέξανδρος δὲ ὁ τοῦ Νουμηνίου καὶ κατ' ἀρχήν φησι τοῦτο καὶ μετὰ τὴν διήγησιν καὶ μετὰ τὰς πίστεις τάττεσθαι, ὃ καὶ ⟨ὁ⟩ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Μειδίου πεποίηκε μεταξὺ τοῦ λόγου εἰπών (§ 77) ‹οἶμαι τοίνυν τινὰς ὑμῶν, ὦ Ἀθηναῖοι, ποθεῖν ἀκοῦσαι τὴν ἔχθραν, ἥτις ἦν ἡμῖν›. οὐ μὴν διὰ τούτου, φησί, καὶ διττὸν εἶναι τὸ προοίμιον νοητέον, ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν ἀρχῇ κατὰ τὴν δύναμιν καὶ κατὰ τὴν τάξιν κυριώτερον, φησί, νομιστέον, τὸ δὲ ἐν τῷ μεταξὺ κατὰ δύναμιν μόνον· θορύβου γὰρ πολλάκις ἐν τῷ μεταξὺ γινομένου ἀνάγκη προοιμιάσασθαι πάλιν πρὸς τὸ προσοχὴν ἐργάσασθαι. cum his verbis a Cornuto Neoclis de τάξει prooemii praecepta coniuncta esse credimus, quia quae idem de τάξει narrationis et epilogi partium docuit, E §§ 125—128, 211, 239 traduntur.

De proxima Cornuti Artis parte, qua eum quaesisse demonstravimus, utrum prooemium dividendum esset necne, certius dici nequit. neque diiudicare conemur, ultima primi de inventione tomi pars integra in E §§ 37—39 transscripta an contracta et mutata sit.

Περὶ εὑρέσεως δεύτερος τόμος.

In Epitomes parte narrationis fines antecedente (§§ 40—45) quomodo criminationes, quae in certis quibusdam causis oratorem contigant, repellantur docetur. huiusmodi repulsiones προκαταλήψεις ab Anaximene nominantur. qui Sp I 204 ₆ sqq. omnia genera criminationum in Epitoma enumerata tractavit et fere eadem de singulis refellendis praecepta dedit sed haec ceteris prooemii praeceptis inseruit, quibus modi benevolentiae efficiendae exponuntur. rhetor autem, cui E §§ 40—45 debentur, προκαταλήψεις orationis partes a prooemiis separatas, quae in suis causis narrationibus praemitterentur[1], dixisse videtur. dubitamus igitur, an haec sententia in Cornuti Arte plane et expresse explicata sit. Cornuti enim verba in hac Epitomes parte foedissime coartata et confusa esse obiter inspicienti adparet.

Narrationis finium enumeratio, quam E §§ 46—51 exhibet, multo plenior est eis, quae in excerptis ceterorum de inventione tomorum inveniuntur, tamen ne hanc quidem intactam esse cognosci-

[1] Propterea consentaneum erat de his repulsionibus agi, antequam de narratione ipsa ageretur et eius fines enumerarentur.

tur. in Neoclis verbis, quae primum locum obtinent, offendendum est. Neocles et omnes rhetores laudati eandem narrationem definiunt, quae secunda orationis civilis pars est, sed cum ceteri eam simplici nomine *διηγήσεως* significent, Neoclis fini haec verba praemittuntur *ἔστι δὲ ἡ διήγησις κατὰ ⟨μὲν⟩ Νεοκλέα ἡ δικανική*[1]. cuius rei nulla alia causa inveniri potest nisi quod Neocles hanc narrationem ut speciem narrationis alii speciei aut generi opposuerit. itaque illum narrationis finem, quem et HS et Nicolaus e Cornuti Arte descripserunt W VII 729 $_{29}$, Sp III 450 $_{24}$ = W II 7 $_{5}$ *διήγησίς ἐστιν ἔκθεσις πραγμάτων γεγονότων ἢ ὡς γεγονότων* a Neocle adhibitum esse credimus[2], praesertim cum ante Neoclis verba § 47 narrationem solas praeteritas res exponere dictam esse desideremus. ab hac generali narratione Neocles specialem in orationibus usurpandam, quam iudicialem appellaret, distinxisse putandus est[3]. genuina verba Neoclis restitui posse desperamus.

Simili ratione atque Neocles auctor verborum § 52 usus est, qui item generalem et specialem narrationem esse sumpsit, sed eo a Neocle dissensit, quod illa praeteritas, instantes, futuras, hac praeteritas et instantes res exponi dixit. et in hanc Epitomes partem et in proximam (§§ 53—62), qua diversae narrationis in species divisiones continentur, ab epitomatore Cornuti verba fere integra transscripta sed a scribis saepius corrupta esse videntur.

Nicolaus narrationis *ἔργον* definitionem a Cornuto repetitam exhibet Sp III 450 $_{25}$ = W II 7 $_{6}$, 123 $_{27}$ *ἔργον δὲ αὐτῆς καὶ τέλος τὸ παράδοσιν καὶ δήλωσιν ποιῆσαι τῷ ἀκροατῇ τοῦ πράγματος*[4]. et haec definitio et si quae aliae eiusdem rei definitiones a Cornuto

---

[1] Finckhio, qui lectionem codicis P *ἡ* in coniunctionem *ἢ* corrigere voluit, non assentiendum est. nam ante substantivum *διήγησις*, si *ἡ διήγησις* non cum adiectivo *ἡ δικανική* coniungendum esset, articulus *ἡ* deesset, quoniam vocabula definienda articulo carere solent. neque prius *ἢ* ad hunc locum quadrare simili Epitomes loco confirmatur. E § 210 enim, ubi de recapitulatione agitur eaque duobus modis definitur, alterum membrum definitionis eisdem verbis *ἢ νὴ Δία*, quae 11 $_{11}$ leguntur, inchoatur neque autem priori membro coniunctio *ἢ* praefixa est.

[2] Eandem definitionem Cic. de Inv. I § 27 exhibet ante ea verba, quae in commentarium ad §§ 54, 55 transscripsimus. Progymnasmatum auctores quoque hac definitione utuntur Theo Sp II 78 $_{15}$, Hermog. ib. 4 $_{19}$, Aphthon. ib. 22 $_{1}$.

[3] Cf. E §§ 149, 150, ubi Neocles *τὸ κυρίως εἰκὸς, τὸ κατὰ τὴν πρός τι σχέσιν*, quod rhetoribus opus est, et id discernit, quod *κοινότερον τὸ εἰκός* nominatur.

[4] Verba *καὶ τέλος* et *ποιῆσαι* W II 123 $_{28}$ desunt.

adlatae erant, Artis partem, quam epitomator inde a § 63 compilavit, antecessisse putandae sunt. nam fines prooemii *ἔργον* ante praecepta docilitatis attentionis benevolentiae positi sunt, quibus quodammodo praecepta nunc nobis tractanda respondent.

In E §§ 63—104 de narrationis virtutibus agitur. ut Cornuti Artis de virtutibus narrationis praecepta restituamus, non solum eorum excerpta excutienda sunt sed etiam unde Cornutus ea derivaverit quaerendum est. qua de causa omnes locos vetustiorum rhetorum, quibus praecepta de narrationis virtutibus efficiendis dantur, perlustrari oportet: Anaximenis Rhet. Sp I 219 $_{10}$—220 $_{6}$, 240 $_{1-7}$; Cornificii Rhet. I §§ 14—16; Ciceronis De Inv. I §§ 28, 29; De Part. § 52; Quintiliani Inst. IV 2 $_{32-127}$; Theonis Prog. Sp II 79 $_{20}$—85 $_{27}$. quodcumque praeceptum cum Epitoma conspirat, in commentarium transscribemus, nunc quae ratio inter singulos libros intercedat paucis explanaturi sumus.

Num Anaximenes ipse uni ex ceteris rhetoribus, quos enumeravimus, in manibus fuerit, valde dubitamus, sed apud omnes praeter Quintilianum vestigia doctrinae Anaximeneae deteguntur. Theo et Epitome eo cum Anaximene consentiunt, quod brevitatem et perspicuitatem e rebus et e verbis fieri docent, et hic uterque et Cornificius Ciceroque nonnulla singularia praecepta Anaximenis exhibent[1]. ea quae Cornificius et quae Cicero priore l. l. de narrationis virtutibus exponunt, fere ad verbum congruunt, cum uterque eundem rhetorem, qui artem Latine condidit[2], ante oculos habuerit. praeceptorum, quae Cicero altero l. l. dat, plurima ei peculiaria sunt. permulta autem praeceptorum, quae Cornificio et Ciceroni communia sunt, apud Theonem et in Epitoma reperiuntur.

Quintilianus rarius cum ceteris concinit: verbis Inst. IV 2 $_{40-42}$ Ciceronis de Inv. libri I § 28 subesse videtur et quattuor locis ex uno eorum rhetorum, quorum praecepta Cornutus recepit, Quintilianum ipsum quoque pendere perspicuum est. qui IV 2 $_{31,\,32}$ Isocrateos narrationem lucidam brevem veri similem esse voluisse, Aristotelem praeceptum brevitatis inrisisse, Theodoreos solam veri similitudinem postulasse tradit. E §§ 102, 103, postquam proxima

---

[1] Cf. commentarium ad §§ 82, 93.

[2] Rem ita se habere Thielius *Quaest. de Cornificii et Ciceronis art. rhet.* Diss. Gryphisw. 1889 demonstravit. Thielium recte iudicasse commentario nostro ad §§ 54, 55; 65—68 collato luce clarius adparebit.

§ quidam praeter tres narrationis virtutes, brevitatem perspicuitatem credibilitatem, quattuor alias invenisse dicti sunt, Aristotelis et Theodori sententiae adferuntur. casu fieri non potuit, ut Quintilianus et Cornutus hoc modo inter se congruerent, sed quae uterque l. l. enarrat, ex eodem libro fluxisse putandum est. sequitur, ut in hoc libro et praeceptum, cuius Quint. IV 2 $_{43}$ mentionem facit (= E § 68), et id, quod Quint. IV 2 $_{60}$ illudit (= E § 91), extitisse atque eundem librum a Quintiliano ad conscribendas §§ IV 2 $_{119-126}$ adhibitum esse sumamus. quibuscum Arti Cornuti haud pauca communia erant. Epitome enim in eo offendit, quod §§ 99, 100 praecepta iucunditatis et magnificentiae leguntur, etsi e verbis proximae § *εἰσὶ δὲ οἵ πρὸς ταύταις ταῖς τρισὶ κτέ* supra solas tres virtutes, brevitatem perspicuitatem credibilitatem, tractatas esse concludere debemus. Quintilianus autem et iucunditatem et magnificentiam adiuvare ad augendam narrationis credibilitatem dicit IV 2 $_{119,\ 125}$. idem igitur Cornutum docuisse, sed verba, quae de hac re fecerat, ab epitomatore omissa esse probabile est. accedit quod praeceptum Quint. IV 2 $_{121}$, ut interdum sententiae narrationi inserantur, E 19 $_{12}$ reperitur[1] et praeceptum Quint. IV 2 $_{123}$, quo energia multum ad narrationem credibilem reddendam conferre dicitur, fere ad verbum cum E § 96 conspirat.

Praeceptum ultimo loco laudatum ansam nobis praebet ad inveniendum auctorum unius libri, unde Cornutus praecepta de narrationis virtutibus exscripserit. energia enim inter septem tropos narrationis enumeratur E § 105 et eius explicatio § 111 superiori § 96 prorsus par est. quae a Cornuto de tropis narrationis praecepta sunt, Neocli deberi inde colligimus, quod eiusdem de tropis argumentationis verba § 160 adferuntur. praeceptum ergo, ut credibilitatis studiosi energiam adhibeant, Neoclis esse persuasum habemus[2]. ex quo efficitur, ut quaecumque Cornuto cum Quintiliano communia fuisse ostendimus, Neocli attribuamus[3]. Quintilianus utrum haec

---

[1] Dubito an praecepto Quint. IV 2 $_{120}$ quoque ea verba subsint, quorum excerptum E 19 $_{11}$ exhibet.

[2] Idem praeceptum Morawskius p. 36 dissertationis laudatae, in quam libello nostro iam prelo mandato incidimus, Alexandro Numenio vindicat. rationes eius ne refellamus, angustiis loci prohibemur.

[3] Iure nos ita concludere eo comprobatur, quod omnia cetera Epitomes praecepta, quae ita cum Quintilianeis consentiunt, ut ex eodem fonte atque haec fluxisse sumenda sint, Neoclis esse constat. cf. commentarium ad §§ 172, 180, 184, 185.

a Neocle ipso repetiverit an eundem atque hic auctorem habuerit in medio relinquendum est.

A Cornuto non solum praecepta, quae adhuc Neocli adsignavimus, sed etiam fere cuncta cetera ex eius libro derivata esse ratione, qua praecepta disposita sunt, confirmatur. nam studium quadripartiendi, quod Neoclis proprium est (cf. adn. XLIII $_1$), nusquam apertius est quam hic. quod optime primis ipsis praeceptis, quae de brevitate e rebus facienda sunt, illustratur, quoniam ea cum Cornificianis Ciceronianisque comparare licet. Cornificius novem, Cicero octo modos narrationem brevem reddendi enumerat, in Epitoma autem bini vel terni eorum in unum praeceptum comprehensi sunt, ut numerus quattuor praeceptorum efficeretur, id quod commentario nostro ad §§ 65—68 cognosces. porro in Epitoma quattuor praecepta de obscuritate e rebus facienda dantur §§ 81—84, quattuor genera verborum perspicuitati nocentium colliguntur § 85, quattuor modi omnia veris assimulandi §§ 90—93, quattuor modi iucunditatis § 99, quattuor magnificentiae efficiendae exponuntur § 100. alibi quadripartitionem ab epitomatore perturbatam esse statim demonstrabitur. duobus tantum locis haec ratio disponendi non adhibita est et praecepta utrobique adlata certis de causis Neocli abiudicanda sunt. § 88 enim, si eidem auctori vindicanda esset atque praecepta, quae antecedunt, suo loco minime quadrare [1], quia haud obscuritatem e verbis faciendam spectaret, et enuntiatum E 18 $_4$ *τὰ δὲ παρὰ τάξιν τιθῇς*, quippe quod eandem sententiam haberet quam superius E 17 $_2$, prorsus supervacaneum esse iudicares. at dubitari nequit, quin § 88 Harpocrationis sit, cum Harpocrationis verba E 20 $_{18}$ et ea E 27 $_5$, quae eidem rhetori supra adscripsimus, ad illam § respiciant. hoc igitur loco a Cornuto Harpocrationis verba praeceptis Neoclis adnexa sunt, supra cum his Alexandri verba coniuncta esse videntur. §§ 72—78 multae figurae enumerantur, quarum alias breviloquens vitare alias usurpare iubetur. cum has figuras omnes in Alexandri de figuris libro tractatas esse constat, tum unam ex eis, quae *τὸ ἐπεζευγμένον* nominatur, Alexandro peculiarem fuisse credendum est, quia nemo nisi Aquila Romanus, qui illus librum epitomavit, de ea egit (cf. commentarium ad § 76). itaque Alexandrum has figuras ut brevitati aut noxias aut utiles in

---

[1] Kayserus *Münch. Gel. Anz.* 1855 p. 11 hanc § post verbum *χρείαν* E 17 $_5$ collocari proposuit.

sua arte enumerasse Cornutumque inde §§ 72—78 descripsisse probabile est.

Cornuti de narrationis virtutibus praeceptis inter auctores suos distributis facile explicari potest, quae cognatio Cornuti Arti cum Theonis Progymnasmatis sit. in quibus multa eorum Cornuti praeceptorum, quae Neocli attribuimus, redeunt et nonnulla eisdem atque in Epitoma verbis expressa. Theonem[1] autem non Neocle ipso usum esse eo comprobatur, quod ille praeter Anaximenis praecepta ipsi cum Cornificio Cicerone Neocle communia (cf. adn. XLVI $_{1}$) duo alia Anaximenis praecepta exhibet (Sp II 80 $_{18}$; 83 $_{19}$ = I 219 $_{15}$, 240 $_{8}$; 240 $_{1}$). eundem rhetorem haec et illa ab Anaximene repetisse veri simillimum est. accedit, quod Theo uno credibilitatis praecepto magis quam Neocles cum Cicerone Cornificioque consentit[2]. Neocles igitur et Theo et auctor artis Latinae a Cornificio et Cicerone adhibitae ex eodem rhetore Graeco pendere sumendi sunt.

Iam quae Cornuti de narrationis virtutibus praecepta in Epitoma deesse quae ibidem breviata et confusa esse cognoverimus, adnotandum est.

Primo loco §§ 65—68 quattuor praecepta de brevitate e rebus facienda dantur, quorum sub finem quaedam omissa esse cognoscitur. Geometra enim, qui W II 230 $_{9}$ inter praecepta Theonis unum a Cornuto repetitum, ut breviloquens *ταυτολογίαν* vitet (= E 15 $_{2}$), inserit, Theonis praecepto quod antecedit (= Sp II 83 $_{20}$), haec verba adnectit W II 230 $_{6}$ *ὡς τὸ ‹ἐπανῆλθεν ἐξ ἀγροῦ› δηλονότι* (l. *δηλοῖ ὅτι*) *καὶ ἐξῆλθε πρότερον· τοιοῦτον καὶ τὸ ‹κατέβην χθὲς εἰς τὸν Πειραιᾶ› δηλοῦντος γὰρ ἦν* (l. *δηλοῦντος τοῦ κατέβην*) *ὅτι καὶ ἐν τῇ πόλει ἦν.* prius horum exemplorum simillimum est ei, quo Cornificius sextum brevitatis praeceptum instruxit I § 14 et si exitus rerum ita ponemus, ut ante

[1] Hoppichlerus *De Theone* Diss. Virceb. 1884 Theonem ante Hermogenem Progymnasmata scripsisse demonstravit neque vero ei contigit, ut Theonem Quintiliano superiorem fuisse probaret. nobis quidem Theoni Alexandrum Numenium ante oculos versatum fuisse persuasum est. Sp II 106 $_{16}$ Alexandri definitionem topi E § 169 servatam adfert et Sp II 109 $_{1}$ sqq. de *διατυπώσει* verba facit Alexandri explicatione *διατυπώσεως* usus, quam E § 233 exhibet. Theo igitur, Progymnasmatum auctor, cui cognomen Aelio fuisse Suidas tradit, Hadriani aetate vel paulo inferius floruisse videtur.

[2] Cf. E § 90 et Theonem Sp II 84 $_{23}$ *στοχάζεσθαι προσήκει τοῦ πρέποντος τῷ τε προσώπῳ καὶ τοῖς ἄλλοις στοιχείοις τῆς διηγήσεως*, et Cic. de Inv. I § 29 *si personarum dignitates servabuntur*, et Corn. I § 16 *si .. personarum dignitates .. constabunt.*

quoque quae facta sint sciri possint tametsi nos reticuerimus, quod genus: si dicam 'me ex provincia redisse' profectum quoque in provinciam intellegatur. itaque illud exemplum non a Geometra inventum sed a Neocle ei praecepto, quod sexto Cornificiano respondet E 15 $_{8}$ *καὶ τὰ τοιαῦτα λέγοις, ὧν ῥηθέντων φανερά ἐστι τὰ σιωπώμενα*, adpositum esse pro certo habemus. an idem altero quoque exemplo a Geometra adlato (= Platonis Rep. I init.) usus sit, incertum est[1].

Plurimum Geometra ad proximam partem Cornuti Artis, quae de brevitate ex elocutione efficienda erat, restituendam confert. Geometram praeter tria praecepta, quae E §§ 69—71 exhibent, aliud eiusdem generis servare W II 230 $_{25}$, 231 $_{5}$, quod cum illis in Cornuti Arte coniunctum fuerit, supra p. XXIV demonstravimus. Geometrae igitur subsidio hoc loco numerus praeceptorum Neocli gratissimus expletur. tria praecepta in Epitomen recepta hic integriora sunt quam apud Geometram, sed dubitamus, an ea verba Geometrae e Cornuti Arte sumpta ab epitomatore autem excisa sint, quae W II 231 $_{20}$ exemplis epithetorum adduntur. *ἤρκει γὰρ ἐπὶ τούτων καὶ τὸ κύριον μόνον. ἃ (τὰ ἐπίθετα) ποιητικῆς μὲν ἴδια ὡς ἐναργῆ καὶ ἡδέα καὶ εὐμεγέθη, τοῖς ῥήτορσι δὲ ἀλλότρια.* nam haec verba similia sunt eis, quae synonymorum exemplo adscripta sunt E 15 $_{6}$.

Inter figuras breviloquenti evitandas apud Geometram duae sunt, quarum Epitome mentionem non facit:

W II 231 $_{1}$, 232 $_{1}$ *ἐπιμονὴ δὲ ὡς τὸ «τί ἐροῦμεν καὶ τί φήσομεν»; καὶ πάλιν «αἰτίας καὶ σκώμματα καὶ λοιδορίας».*

W II 231 $_{3}$, 232 $_{23}$ *τὰ δ' ἐκ παραλλήλου περιττὰ μέν, σπουδῆς δὲ ὅτι μάλιστα ἐμφαντικά εἰσι. τὸ γοῦν* (B 8) *‹βάσκ' ἴθι› πλεονάσαν τῇ λέξει τὸ πρᾶγμα κατέσπευσε· τὴν γὰρ σπουδὴν τῷ ἐπιτάττοντι παρεδήλωσε.*

in Alexandri de figuris libro et *ἐπιμονὴ* Sp III 17 $_{28}$ et *συνωνυμία* Sp III 30 $_{14}$ tractatur, quae *ἐκ παραλλήλου* nominari poterat (cf. Herodianum Sp III 102 $_{3}$). in Alexandri igitur arte, qua Cornutus usus est, hanc utramque figuram, quae summo iure bre-

[1] Monemus ne Geometra, ubi quaedam a Cornuti Arte repetiverit, eius verba genuina et integra servasse putetur. nam ubicumque Theonem auctorem sequeretur, eum verba Progymnasmatum modo resecuisse modo amplificasse semperque mutasse vidimus.

vitati noxia esse dicitur, ceteris insertam et Alexandri verba in Cornuti librum atque inde in Geometrae commentarium transscripta esse persuasum habemus.[1]

Geometra praeter *ἀναδιπλώσεως* exemplum, quod corruptius E 15 $_{12}$ quoque legitur, alterum exhibet:

W II 232 $_{20}$ *καὶ ὁ ποιητὴς* (Y 371) *‹τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν, εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ›*.

etiam hoc exemplum Geometra apud Cornutum legisse videtur. nam eidem versus ab Alexandro adferuntur Sp III 20 $_{3}$[2] et eum in arte sua hos versus una cum illo loco Demosthenico (W II 232 $_{18}$ = E 15 $_{12}$) laudasse eo probabilius est, quod his exemplis duo genera iterationis ab Alexandro distincta (Sp III 20 $_{5}$) illustrantur.[3] in altero enim verba iterata cohaerent, in altero aliis verbis distinguuntur.

De usu tropicorum, ad quem Epitomes verba § 74 spectant, Geometra haec praecipit:

W II 232 $_{6}$ *τροπὴν δὲ οὐχὶ πᾶσαν (ἐκβάλλομεν), ἀλλ' ἥτις ἐστὶν ἐπεξηγήσεως δεομένη ὡς τὸ* (Dem. 3 § 31) *‹ἐκνενευρισμένοι περιῃρημένοι χρήματα, συμμάχους›. ἐπεξηγήσεως δεομένη, ἥτις σκληρά τε καὶ ἀσυνήθης, ὡς ἥγε συνήθης [καὶ] μεταφορικὴ μᾶλλον ἐπιτέμνει καὶ δι' ὀλίγων πολλὰ περιΐστησιν. ὁ γοῦν Δημοσθένης εἰπὼν* (2 § 9) *‹μικρὰ πρόφασις καὶ τὸ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε›, διὰ μιᾶς λέξεως καὶ πᾶσαν ἡμῖν τὴν παραβολὴν παρέστησε.*

licet Geometra Cornuti Artis verba auxerit dilataveritque, eum priorem praecepti partem, quae Epitomae deest, novasse credibile non est. nam praeceptum eo loco, quo apud Cornutum id positum fuisse Epitome docet, inter seriem figurarum brevitati noxiarum et seriem utilium, aptissimum erat, si alia tropica vitari alia adhiberi

---

[1] Utrum Alexander ipse in arte sua nomen *ἐκ παραλλήλου* usurpaverit, an Geometra hoc in locum *συνωνυμίας* substituerit nescio. in eo quod Cornutus breviloquentes et synonymis uti vetuerit et figuram synonymiae vitare iusserit, offendendum non est, quoniam haec praecepta e diversis libris sumpsit. cf. Harpocrationis praeceptum E 18 $_{4}$ et Neoclis E 17 $_{2}$.

[2] Exemplum *περιφράσεως* E 15 $_{14}$ = W II 232 $_{5}$ ipsum quoque in Alexandri de figuris libro Sp III 32 $_{8}$ reperitur.

[3] In Alexandri de figuris libro (nihil nisi epitomen eius ferri Steusloffius demonstravit *Quibus de causis Alexandri Numenii etc.* Diss. Vratisl. 1861) *ἐπανάληψις* Sp III 19 $_{30}$ et *ἀναδίπλωσις* Sp III 29 $_{5}$ distinguuntur, sed verba utriusque loci ita confusa sunt, ut quid inter has figuras differat non intellegatur. in arte sua Alexander ut Phoebammo Sp III 46 $_{15}$ quamlibet verborum iterationem nomine *ἀναδιπλώσεως* significasse videtur.

iubebat. itaque non dubitamus quin Alexandri de usu tropicorum praeceptum in Cornuti Arte fere tale fuerit, quale Geometra exhibet. epitomatorem hoc in compendium redegisse eo confirmatur, quod in Epitoma non totus locus Demosthenicus a Geometra servatus sed unum eius vocabulum e. c. adfertur.

Praeceptum de usu *τοῦ ἐπεζευγμένου* datum plenius E § 76 traditur quam a Geometra, sed exemplum adfixum W II 233 $_{18}$ integrius est.

Ultimum brevitatis praeceptum, quod Geometra a Cornuto repetivit, quamquam vehementer depravatum, tamen nobis magno fructui est.

W II 233 $_{16}$ *καὶ τὸ ἀσύνδετον δὲ τοιοῦτον, ὡς τὸ κατὰ κόμμα ὥσπερ καὶ Δημοσθένης·* (1 § 9) *‹Μεθώνην, Πύδναν, τἄλλα, ἵνα μὴ καθ' ἕκαστον λέγων διατρίβω›, ὅπου γε καὶ δυσὶ καὶ τρισὶν οὗτος εἴδεσι τῆς συντομίας ἐχρήσατο, τῷ τε ἀσυνδέτῳ καὶ τῷ κατ' ὄνομα καὶ τῷ τὰ πλείω παραλιπεῖν· διὸ καὶ ἐπεσημήνατο ‹ἵνα μὴ καθ' ἕκαστον λέγων διατρίβω›.*

in Geometrae verbis locus Demosthenicus asyndeton *κατὰ κόμμα* nominatus offendit. qui cum asyndeton *κατ' ὄνομα* esse dicendus sit[1], Geometrae verba ita fere supplenda censemus *ὡς τὸ κατὰ κόμμα ⟨παρὰ Δημοσθένει* (18 § 139) *‹ἀλλ' ἐπειδὴ φανερῶς ἤδη τὰ πλοῖα ἐσεσύλητο, Χερρόνησος ἐπορθεῖτο› καὶ τὰ ἑξῆς. ἔστι δὲ καὶ ἀσύνδετον κατ' ὄνομα⟩ ὥσπερ καὶ Δημοσθένης* (1 § 9). ut locum Dem. (18 § 139) inter tradita verba Geometrae intercidisse sumamus, eo adducimur, quod idem E 16 $_{6}$ adfertur atque in Cornuti Arte et hunc et illum, qui Geometrae verbis apud Doxopatrum servatis continetur, laudatum esse persuasum habemus. nam in Alexandri de figuris libro Sp III 33 $_{2}$ asyndeto duo loci Dem. (18 § 65 et § 69) exemplo sunt, quorum altero singula commata, altero singula verba demptis coniunctionibus conectuntur. Alexandrum igitur in arte sua ipsa quoque duos locos (18 § 139 et 1 § 9), qui illis respondent, adtulisse probabile est. idem autem locus (18 § 69), qui in Alexandri de figuris libro Sp III 33 $_{4}$ ut asyndeti exemplum laudatur, ad illustrandam *παράλειψιν* adhibetur Sp III 23 $_{14}$. inde colligimus Alexandrum in arte sua loco (1 § 9) eodem modo usum esse et similiter atque Geometram brevitatem

[1] Cf. quae Tiberius Sp III 77 $_{27}$ de diversis asyndeti generibus dicit.

etiam figura παραλείψεως effici dixisse. neque enim hanc figuram, quae brevitati sane utilissima est, in enumeratione defuisse veri simile est. quid? quod παραλείψεως mentio fit in corruptis verbis E 16 $_{7}$ ποιήσεις δὲ συντομίαν καὶ οὔτε κατ' ἔμφασιν παραλείψεως λέγεις, ὡς ὁ Δημοσθένης (19 § 192) ‹ἐπειδὴ γὰρ εἷλεν Ὄλυνθον Φίλιππος›. quae verba Kayserus deleto vocabulo παραλείψεως sanari posse existimavit. at interpolatorem hoc vocabulum addidisse quis credat? in Cornuti Arte et de figura παραλείψεως et de tropo ἐμφάσεως verba facta et ea in Epitoma foede confusa esse multo credibilius est. genuina autem verba restitui posse desperamus.

Venimus ad praecepta de obscuritate data. ut enim quomodo narratio dilucida fiat doceatur, topi obscuritatis, qui fugiendi sint, enumerantur. modo cum Neoclis quadripartitiones colligeremus, quattuor de obscuritate e rebus facienda praecepta esse contendimus codicis P auctoritate nixi, in quo praepositis numeris πρῶτον E 16 $_{20}$, δεύτερον 17 $_{2}$, τρίτον 17 $_{10}$, τέταρτον 17 $_{11}$ quattuor praecepta distinguuntur, quorum primo ignobilitas materiae causa obscuritatis esse dicitur, secundo perturbatio rerum ordinis, tertio omissio aliquarum rerum, quarto digressio. duobus extremis praeceptis solis apud AJ W II 219 $_{20,\,21}$ numeri praefixi sunt neque autem eidem qui in P, sed paenultimo τέταρτον, ultimo πέμπτον. ergo enuntiatum E 17 $_{6}$ ποιεῖ δὲ ἀσάφειαν καὶ τὸ τῶν αὐτῶν πολλάκις μεμνῆσθαι ab AJbus loco tertii praecepti habitum est. si lectio AJum genuina esset, in P corruptela agnoscenda esset, quae quomodo nata sit intellegi nequit. itaque Neoclem ne hic quidem plus quattuor praeceptis dedisse nobis persuasimus. Theo Sp II 80 $_{24}$ praeceptum, ne tempora et ordo rerum perturbentur, a praecepto, ne eadem bis dicantur, separat neque dubitamus, quin auctor a Theone et Neocle adhibitus similiter praescripserit. Neoclem autem saepius bina praecepta auctoris sui in unum contraxisse Epitomes brevitatis praeceptis cum Cornificianis comparatis cognovimus. eundem quadripartiendi studio ductum illa duo obscuritatis praecepta comprehendisse credibile est.[1] Neoclis igitur verba ita resti-

[1] Quadripartiendi causa Neocles etiam Anaximenis praeceptum a Theone Sp II 80 $_{13}$ servatum (cf. p. XLIX) omisisse et allegoriam, quam Theo Sp II 81 $_{6}$, ubi de perspicuitate ἐκ τῶν πραγμάτων efficienda agitur, commemorat, inter res elocutionis perspicuitati noxias enumerasse putandus est.

tuenda esse videntur *δεύτερον ⟨δέ⟩, ὅταν συγχέωμεν τὴν τάξιν τῶν γεγονότων, ὡς τὰ μὲν πρῶτα τελευταῖα εἶναι, τὰ δὲ τελευταῖα προτετάχθαι· οἰκονομίας δὲ τὸ τοιοῦτον πολλάκις ἐπέχει χρείαν, δυσπαρακολούθητον δὲ ὅμως καὶ ἀσαφῆ τὸν λόγον ποιεῖ· καὶ τῶν αὐτῶν πολλάκις μεμνῆσθαι· μακρὸν γὰρ κτἑ.* quae verba ab epitomatore propterea mutata esse sumimus, quod infinitivum *μεμνῆσθαι* e particula *ὡς* pendere[1] non intellexisset.[2] verbis autem, quae epitomator in locum genuinorum substituit E 17 $_6$ *ποιεῖ δὲ ἀσάφειαν καὶ τὸ τῶν αὐτῶν πολλάκις μεμνῆσθαι,* AJ facillime in errorem perducti sunt, ut quinque praecepta esse rati traditis numeris *τρίτον-τέταρτον* correctura opus esse censerent.

In Epitomes de obscuritate ex elocutione efficienda praeceptis §§ 85—87 praeter lacunam librariorum culpa ortam E 18 $_1$ unus locus offendit, quem haud sine epitomatoris opera confusum et perturbatum esse iudicemus. post enumerationem enim quattuor generum vocabulorum obscuritatem efficientium legitur E 17 $_{15}$ *καὶ (ὅταν τις χρῷτο) τῇ συνθέσει μὴ ἁπλῇ καὶ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ δι' ὑπερβατῶν καὶ μήκους περιόδων καὶ ἀλληγορίας.* et participium *τεταραγμένῃ* vel simile desideratur, quo genetivi e praepositione *διὰ* pendentes cum nomine *συνθέσει* coniungantur, neque quod *σύνθεσις δι' ἀλληγορίας* adfici dicitur, potest tolerari. ad nodum expediendum adiuvamur Geometrae loco W II 226 $_5$ *παραφυλακτέον καὶ τὸ μῆκος τῶν περιόδων καὶ τὰ αἰνίγματα καὶ τόν γρῖφον.* verba *αἰνίγματα* et *γρῖφον* a Geometra pro verbo *ἀλληγορίας* posita esse e loco W II 222 $_{27}$ adparet. inde quod Geometra non *παραφυλακτέον καὶ τὴν σύνθεσιν διὰ τοῦ μήκους τῶν περιόδων καὶ τῶν αἰνιγμάτων καὶ τῶν γρίφων τεταραγμένην* scripsit, colligimus in Cornuti Arte non easdem ineptias, quae in Epitoma inveniuntur, extitisse sed ibi et *τὸ μῆκος τῶν περιόδων* et *τὴν ἀλληγορίαν* in numerum rerum elocutionem obscurantium relata esse. duobus igitur Epitomes praeceptis §§ 86, 87 *ποιεῖ δὲ καὶ ὀνοματοποιΐα ἀσάφειαν, ὡς τὸ κτἑ.., καὶ ἡ ⟨ὁμωνυμία κτἑ..⟩* duo similia antecessisse sumendum est ita fere restituenda *ποιεῖ δὲ καὶ τὸ μῆκος τῶν περιόδων ἀσάφειαν ὡς . . ., καὶ ἡ ἀλληγορία ὡς . . . .* coniecturae eo fides adrogatur,

[1] In eo, quod inter infinitivos ex eadem particula *ὡς* pendentes verba *οἰκονομίας — ποιεῖ* inserta sunt, offendendum non est. cf. E 25 $_{32}$sqq.
[2] Cf. interpolationem simili de causa factam E 46 $_1$.

quod ea hic quoque numerus praeceptorum Neocli pergratus recuperatur. proximum de compositione obscuritatem efficiente praeceptum, quod cum ei verba *μήκους περιόδων καὶ ἀλληγορίας* adglutinarentur, ipsum mutilatum esse videtur, fortasse hoc modo supplendum est *καὶ (ὅταν τις χρῷτο) τῇ συνθέσει μὴ ἁπλῇ καὶ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ δι' ὑπερβατῶν ⟨καὶ μεταξυλογιῶν τεταραγμένῃ⟩. μεταξυλογίαι* enim a Theone Sp II 82 $_{19}$ una cum hyperbatis ut res elocutionis perspicuitati noxiae enumerantur[1] et eadem Neoclem in praecepto de quo agimus coniunxisse veri simillimum est, cum duobus membris prioris partis praecepti *ἁπλῇ καὶ κατὰ φύσιν* altera pars melius respondeat, si duae res compositionem perturbantes adferantur.

Nunc paucis de praeceptis credibilitatis disserendum est. Geometra quamquam totum praeceptum, quod Epitomae deest, non exhibet, tamen complures adnotatiunculas ab epitomatore omissas nobis suppeditat.

W II 235 $_{6}$ enim praecepto, ut particulae narrationis quae dicuntur exponantur (= E § 90), haec sententia additur: *τὸ γὰρ διὰ πάντων ἐπεξιέναι δόξαν ἡμῖν παρέχει τοῦ καὶ αὐτοῖς παρεῖναι τοῖς πράγμασι καὶ ἀληθῆ λέγειν παρίστησιν.*

W II 235 $_{10}$ praecepto, ut omnes particulae accurate enarrentur (= E § 92), verba adnectuntur: *οὐ γὰρ ἀρκεῖ τὸ οὕτως μόνον παρῆν εἰπεῖν ἀλλὰ καὶ τὸ τοιῶςδε ἢ τοιῶςδε.*

W II 236 $_{8}$ praeceptum, ut simplex elocutio adhibeatur (= E § 97), excipiunt verba: *δόξαν γὰρ τῆς ἀκριβείας καὶ φαντασίαν παρέχει τῆς ἀληθείας, ὡς ἀπερίσκεπτος καὶ τὴν ἀλήθειαν μιμουμένη.*

has tres sententias, cum haud sine iudicio scriptae sint, quo Geometra caret, et eius modi additamenta praeceptorum a Cornuti Arte haud aliena esse similibus sententiis Epitomes 18 $_{16}$, 15 $_{6}$ demonstretur, Cornuti Arti deberi veri simillimum est. ex eadem Geometra energiae exemplum W II 235 $_{23}$, quod optime delectum est, in commentarium suum transscripsisse videtur:

οὕτω γοῦν καὶ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοκράτους·

---

[1] *τὸ ὑπερβατὸν* et *μεταξυλογίαν* arcte cohaerere Alexandri de figuris libro confirmatur. Sp III 38 $_{8}$ figuram *ὑπερβατοῦ* figura *παρεμβολή* nominata sequitur, quae haud diversa est ab ea, quam Theo *μεταξυλογίαν* dixit. cf. W V 453 $_{22}$.

(§ 52) ‹ἀλλὰ πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς ὥςπερ ἔχις ἢ σκορπίος, τὸ κέντρον ἠρκώς, ᾄττων δεῦρο κἀκεῖσε›.
Cornutum enim secundo loco, quo de energia ageret E § 111, ei exemplum adposuisse, priore loco E § 96 praetermisisse consentaneum non est, sed epitomatorem hic exemplum resecuisse probabilius est. eundem Cornuti de energia verba de sua sede removisse conicimus. ex eo enim, quod energia, quae a quibusdam in numero narrationis virtutum ducitur (cf. Quint. IV 2 $_{63}$), necessitudinem quandam cum iucunditate et magnificentia habet, Cornutum praecepta de energia de iucunditate de magnificentia data, quae apud Quintilianum IV 2 $_{119}$ sqq. ipsum quoque coniuncta sunt, non separasse concludimus. ordo igitur credibilitatis praeceptorum in Cornuti Arte hic fuisse videtur. primum quattuor modi, quibus omnia veris assimulanda essent, exponebantur (E §§ 90—93), tum quattuor aliae res credibilitatem efficientes enumeratae sunt (E §§ 94, 95, 97, 98), 'denique energiae iucunditatis magnificientiae mentio facta est (E §§ 96, 99, 100). in Cornuti Arte praeceptis iucunditatis et magnificentiae quaedam verba praemissa esse, quibus hae multum ad credibilitatem conferre dicerentur, supra demonstravimus. utrum sola verba συνεργεῖ δὲ πρὸς πειθὼ καὶ ἡ ἡδονή — συνεργεῖ δὲ πρὸς πειθὼ καὶ ἡ μεγαλοπρέπεια, quae initio praecepti de energia dati respondent, an longiora, qualia Quintilianus IV 3 $_{119,\ 125}$ exhibet, in Cornuti Arte extiterint incertum est.

Praecepta de narrationis virtutibus data in Epitoma finiuntur particula §§ 101—104, qua quid singuli rhetores de numero narrationis virtutum docuerint exponitur. et Nicolai locus Sp III 457 $_{25}$ —458 $_{5}$=W II 583 $_{1}$, ad quem conscribendum Cornuti Artis verba adhibita sunt, et verba Quintiliani IV 2 $_{32,\ 61,\ 63}$, quem vel Neocle vel eius auctore usum esse cognovimus, cum hac Epitomes particula conferenda sunt. qua re epitomatorem Neoclis verba in hunc Cornuti Artis locum transscripta foedissime confudisse satis elucet, at eorum restitutio temptari non potest.

Pariter desperandum est damna proximae Epitomes partis §§ 105 —111, qua tropi narrationis tractantur, umquam suppleri posse. etenim quae in Cornuti Arte de tropis, qui εὐφημία et ἐπὶ τὸ χεῖρον φράσις nominabantur, dicta erant, et nonnulla exemplorum, quae apud Cornutum nulli troporum defuisse videntur, ab epitomatore omissa sunt.

Post enumerationem narrationis troporum in Epitomes § 112 differentia διηγήσεως et καταστάσεως explicatur, sed hanc § in Cornuti Arte troporum enumerationi continuatam fuisse credibile non est. nam antequam de usu καταστάσεως et προβολῆς ageretur, narratio praetermitti posse dicenda erat. itaque illi § in Cornuti Arte Neoclis de praetermissione narrationis verba antecessisse sumimus. quae verba Neocles de narrationis praetermissione fecerit, nunc demonstrabitur.

Ordo quattuor Epitomes partium quae §§ 113—135 distinguuntur (§§ 113—123; 124—131; 132, 133; 134, 135)[1], idem atque in Cornuti Arte, sed duarum primarum partium dispositio ab ea, quae apud Cornutum erat, diversa esse videtur. in Epitomes parte §§ 113—123 quaestio instituitur, utrum semper narratione opus sit necne, ac primum quidem Apollodoreorum praeceptum, ut semper enarretur, et rationes praecepti adferuntur. tum § 116 Alexander et Neocles non semper esse narrandum docuisse traduntur. pars §§ 117—120, qua quattuor causae narrationem praetermittendi continentur, ita cum proximo enuntiato conexa est, ut Alexandri et Neoclis esse ducenda sit. accedit quod E 22 $_{21,\ 24}$ verbum φασι extat, cuius subiectum idem atque verbi φασι E 22 $_{17}$, Alexandrum et Neoclem, esse existimes. denique §§ 121—123 Alexandri verba sequuntur, quibus Apollodoreorum rationes confutantur.

Dispositio Epitomes partis §§ 124—131, qua de loco narrationis quaeritur, priori prorsus par est. primum Apollodoreorum praeceptum commemoratur, ut narratio semper prooemium excipiat, cui ratio paucis verbis addita est. tum § 125 Alexander et Neocles Apollodoreis adversati narrationi non unum sed diversos locos adsignasse dicuntur, et §§ 126—128 quinque loci enumerantur, quibus narratio poni possit, si non prooemio continuetur. haec enumeratio, in qua verbum φασι bis reperitur E 24 $_{2,\ 7}$, ipsa quoque ita cum praecedentibus verbis coniuncta est, ut ad Alexandrum et Neoclem referenda sit. at Alexandrum duobus tantum locis aut ante argumentationem aut in argumentatione ipsa narrationem collocandam esse censuisse et eos, qui alios quoque locos ei concessissent, impugnasse e verbis §§ 129—131, quae Alexandri nomen prae se

[1] Quintam partem §§ 136—142, qua de elocutione narrationis agitur, ab epitomatore excerptis secundi de inventione tomi adnexam esse supra demonstravimus.

ferunt, patet. Finckhius igitur E 23 $_{20}$ ante illam enumerationem quinque locorum, quam non ad Alexandrum referendam esse intellexit, verba ⟨*καὶ Νεοκλῆς μὲν*⟩ excidisse coniecit. si Finckhio assentimur, sequitur ut E 22 $_{18}$ similia quaedam verba periisse putemus, cum enumeratio quattuor narrationem praetermittendi causarum §§ 117—120 ipsa quoque ab Alexandro aliena sit. quam Neocli attribuendam esse cum ex eo concludere licet, quod enumerationi quattuor prooemii praetermittendi causarum §§ 22—25, quam Neoclis esse certis argumentis evicimus, respondet, tum ex eo, quod verba E 22 $_{18}$ *ᾧ τρόπῳ τινὰ τῆς διηγήσεως παραιτούμεθα ὡς μὴ συμφέροντα* ad unum e Neoclis de brevitate praeceptis E 14 $_{18}$ *καὶ ἐὰν . . . οἷα μὴ ὠφελεῖν τὸν ἀγῶνα οἷά τέ ἐστι . ., ἀφέλῃς τῆς διηγήσεως* respiciunt. quominus et haec particula (§§ 117—120) et illa (§§ 126—128) Neocli vindicetur, verbum *φασί* bis utrobique inventum non obstat. eadem ratione *φασί* hic dictum est atque E 21 $_{17}$, 16 $_{11}$, 14 $_{8}$, ubi eo quidam auctores eorum rhetorum, quibus singulae partes debentur, significantur. E 22 $_{18}$ igitur ante enumerationem quattuor narrationem praetermittendi causarum haec fere verba ⟨*καὶ Νεοκλῆς μέν φησι πολλάκις τὴν διήγησιν δεῖν παραιτεῖσθαι*⟩ (cf. E § 21) desiderarentur. at Epitomen bis similem iacturam accepisse multo minus probabile est quam epitomatorem Cornuti Artis ordinem ita confudisse, ut verba, quae supplenda esse Finckhius et nos diximus, suis locis deesse viderentur.

Quae dispositio duarum partium in Cornuti Arte fuerit, collato primo de inventione tomo adparet. ubi enim de praetermissione prooemii agitur, primum Neoclis verba (§§ 21—25), tum verba Apollodoreorum (§§ 26—29), denique verba Alexandri §§ 30—35 adferuntur. Cornutum ipsum hunc ordinem adhibuisse certum est, cum dubitari non possit, quin Cornutus Apollodoreorum et Alexandri verba ex uno eodemque libro, ex Alexandri arte, descripserit. quae non verbis a Neoclis arte repetitis dirimi, sed haec seorsum ante aut post illa collocari consentaneum erat. inde colligimus Cornutum in secundo de inventione tomo haud alia ratione usum esse. partes ergo Cornuti Artis, quibus de praetermissione et de loco narrationis agebatur, hoc modo dispositae erant:
prioris partis primum locum Neoclis praeceptum, ut saepe narratio omitteretur, quod praecepto § 21 *πολλάκις δεῖ παραι-*

τεῖσθαι προοίμιον respondebat, et enumeratio quattuor narrationem praetermittendi causarum (§§ 117—120) occupabant. quam illa de differentia διηγήσεως et καταστάσεως verba (§ 112) secuta esse sumimus, quippe quae pro appendice praecepti § 119 φανερῶν ὄντων τῶν πραγμάτων περιττὸν τὸ διηγεῖσθαι habenda sint. nam § 112 κατάστασις aut προβολή, si res apertae sint, adhiberi et vice narrationis fungi dicuntur[1]. eo igitur, quod haec verba in Epitoma Apollodoreorum de narrationis usu praeceptum anteeunt, confirmatur Neoclis enumerationem quattuor narrationem praetermittendi causarum, quam illis verbis antecessisse certum est, ab epitomatore sua sede remotam et inter Alexandri verba insertam esse. prioris partis secundo loco Apollodoreorum praeceptum, ut semper narraretur, cum rationibus huius praecepti positum erat (§§ 113—115), tertio Alexandri contrarium praeceptum et refutationes illarum rationum (§ 116, §§ 121—123).
posterioris partis initio Neoclis praeceptum, ut narratio non semper post prooemium sed alibi alio loco collocaretur, et enumeratio quinque locorum (§§ 126—128) adlata erat. quam Apollodoreorum de loco narrationis verba (§ 124) sequebantur. Alexandri praeceptum, ut narratio non solum ante argumentationem sed etiam in argumentatione ipsa poneretur, et Alexandri repulsio eorum, qui vel post argumentationem et in epilogo narrari volebant (§§ 129 — 131), in extrema hac parte erat.

Uno loco duarum partium Cornuti Artis, quarum dispositionem epitomatorem perturbasse vidimus, eundem quaedam omittentem deprehendimus. desiderantur enim quae Alexander Apollodoreorum sententiae E 22 $_8$ ὅτι οὐδεὶς τῶν ἀρχαίων παρῆκε διήγησιν responderit (cf. § 29 et § 33). plurane in his partibus et in duabus proximis (§§ 132, 133; 134, 135) excisa mutataque sint statui nequit.

Περὶ εὑρέσεως τρίτος τόμος.

Excerpta huius tomi a definitionibus πίστεως, quarum altera anonyma est (§ 143)[2], altera Alexandri nomen prae se fert (§ 144),

[1] Hac re efficitur, ut § 112 Neocli adscribamus.

[2] Supra ex eo, quod anonymas membri et periodi definitiones (E § 242) Cornuti esse constat, Cornutum Artis auctorem esse conclusimus. nunc contraria conclusio facienda est. cum Cornutum Artem composuisse credamus, ei anonymam πίστεως definitionem vindicamus. totam enim § 143 ab uno et

incipiunt. quibus a Cornuto Neoclis de propositione et de tropis *πίστεως* verba (§§ 160—168) continuata esse pro certo habemus. nam propositionis, quae a Neocle E 30 $_{15}$ *ἀποδείξεως ἀρχή* esse dicitur, sub initium tertii de inventione tomi mentionem fieri consentaneum erat. locus autem, quem illa verba in Epitoma tenent, minime eis convenit. cum enim ipsa eam *πίστιν*, quae tertia pars orationis est et E 27 $_{9}$ sqq. definitur, i. e. argumentationem, spectent, in Epitomes partibus, inter quas leguntur, *πίστεις* i. e. singulares probationes (cf. Quint. V 10 $_{8}$) tractantur. primum probationum natura (§§ 145—157), deinde inventio (§§ 169—185), tum solutio (§§ 186—191)[1], denique oeconomia (§§ 192—194) docetur. idem ordo partium, qui rei aptus et accomodatus est, in Cornuti Arte fuisse videtur. primum igitur quaeramus, Epitomene ea, quae Cornutus de natura probationum scripserat, integra servarit.

In Epitomes §§ 145, 146 Alexandri de differentia artificialium et inartificialium verba adferuntur et §§ 147—153 Neoclis verba, quibus quid sint artificiales probationes, quid sit pathetica probatio, quomodo pragmatica probatio fiat, quid inter *εἰκός, σημεῖον, τεκμήριον* differat fusius exponitur. Cornuti Artis de his rebus verba vix uberiora fuerunt, sed eandem de paradigmate et enthymemate multo plura exhibuisse quam Epitomen §§ 154—159 Cornuti Artis excerpta a vetustiore Hermogenis de Inv. librorum Scholiasta facta ostendunt. quorum in numero sunt:

W VII 752, V 395 $_{21}$ sqq. Neoclis de paradigmatis speciebus verba[2];
W VII 762 $_{7}$[3] Alexandri enthymematis definitio, quam eo magis in Epitoma desideramus, quod Alexander paradigma et enthymema principalia genera artificialium probationum nominasse traditur;

---

eodem scriptam esse patet. neque autem verba E 27 12 *καλεῖται δὲ ἡ προτέρα ὑπ' ἐνίων καὶ ἀπόδειξις* alii nisi auctori Artis adsignari possunt. quae eo consilio scripta sunt, ne lectores mirarentur, quod infra saepe, ut in Neoclis praeceptis §§ 160, 177, 198, nomen *ἀποδείξεως* pro nomine *πίστεως* usurpatur, et ut intellegerent, cur Alexander *πίστεως* et *ἀποδείξεως* differentiam exposuisset (E 27 15).

[1] Alexandri de argumentationis elocutione praeceptum (§§ 196, 197) notis de causis inter excerpta tertii de inventione tomi non numeramus.

[2] Easdem tres species paradigmatis, quas Neocles distinguit, Cicero de Inv. I § 49 enumerat.

[3] Definitionem W VII 762 8—10, quam supra explicavimus in adn. XII 1, Alexandri esse verba W V 406 17sqq. ostendunt, quae ad illam definitionem respiciunt. eundem verba, quae definitionem sequuntur W VII 762 10—15, scripsisse, verbis de differentia syllogismi et enthymematis factis W VII 763 13, V 403 14—22 adparet.

W VII 763 $_{6-10}$ definitio enthymematis, cuius auctor non nominatur, et Neoclis altera definitio (cf. adn. XII $_{1}$);

W VII 763 $_{13}$, V 403 $_{14}$—404 $_{2}$ Alexandri et Neoclis de differentia syllogismi et enthymematis verba;

W VII 763 $_{16}$—764 $_{1}$ Harpocrationis (cf. adn. XII $_{2}$), Alexandri, Neoclis de differentia epichirematis et enthymematis verba;

W VII 764 $_{1}$—765 $_{2}$ Neoclis de syllogismo verba;

W VII 765 $_{3}$—766 $_{3}$ Neoclis et Alexandri de sententia verba;

W VII 766 $_{3}$, V 406 $_{17}$— 410 $_{5}$ Alexandri de differentia *ἐλεγκτικῶν* et *δεικτικῶν* enthymematum verba;

W VII 766 $_{4-16}$ Neoclis enumeratio quattuor generum enthymematis.[1]

Accedit, ut in Cornuti Arte de natura epichirematis et epenthymematis, de qua in Epitoma omnino non agitur, haud pauca verba facta esse Hermogenis Scholiastae excerptis cognoscatur. supra enim demonstravimus illum has particulas a Cornuti Arte repetisse:

W VII 752 $_{5}$, V 395 $_{12-15}$ quattuor epichirematis definitiones[2];

W V 395 $_{15-21}$ Neoclis de epichirematis generibus verba[3];

W V 396 $_{9-13}$ adn. $_{16}$ verba de epichirematis partibus facta;

W VII 769, V 410 $_{11}$—411 $_{13}$ Harpocrationis de epenthymemate verba cf. W VII 763 $_{10}$.

Largissima supplementa Epitomes nobis ab Hermogenis Scholiasta suppeditari vidisti, tamen Cornuti Artis partem, quae de probationum natura erat, restituere non conemur. nam tot tantasque Hermogenis Scholiorum partes prelo rursus tradere veremur, antequam collatis codicibus Par. 1983 et 2977 firmiora fundamenta recensionis iacta sunt. neque restitutionem recte confici posse censemus, nisi quidquid alii rhetores atque etiam philosophi de paradigmate, enthymemate, epichiremate, epenthymemate docuerunt, cum Cornuti Artis excerptis comparatur. cum autem neque tempus ad haec pervestiganda neque chartula ad ea exponenda sufficiat et nobis pro-

---

[1] Hanc Neocli vindicamus, quia eidem epichirematis generum enumeratio W V 395 $_{15}$ sqq. attribuenda est (cf. infra adn. $_{3}$) et quadripartitio pergrata est. an proxima de enthymematis virtutibus verba W VII 766 $_{16}$, V 410 $_{5-10}$ e Cornuti Arte fluxerint nescimus.

[2] Quarta definitio nonnisi in commentario Pseudogeorgiano servatur. cf. supra p. XVII.

[3] Haec Neoclis esse inde colligimus, quod eis respondent, quae Neocles de pragmatica probatione scripsit (E § 149).

positum sit, ut occasione data in universam doctrinam logicam rhetorum diligentius inquiramus, munus quod nunc detrectamus, in illud tempus differimus.

Excerpta proximae Cornuti Artis partis, qua inventio probationum tractabatur, E §§ 169—185 leguntur. primum locum Alexandri definitio *τόπου* obtinet (§ 169). deinde Neocle auctore quid singuli rhetores de propriis et communibus topis docuerint exponitur (§ 170). tum topi communes, quos Neocles principales duxit, enumerantur et eiusdem de horum toporum usu praecepta adferuntur (§§ 171—185). et Neoclis verbis eius definitionem topi a Cornuto praemissam esse conicimus, et Alexandri toporum enumerationem ab epitomatore omissam esse Cornuti Artis excerpto ab Hermogenis Scholiasta facto demonstratur. W VII 762 $_{16}$, V 404 $_{2}$ —406 $_{17}$ enim eis de enthymemate verbis, quae Alexandri esse supra in adn. LX $_{3}$ comprobavimus, enumeratio unius et viginti toporum adnexa est. quam ex Aristotelis Rhet. II capite 23 pendere Spengelius iam vidit [1]. Alexander autem haud semel Aristotelem auctorem secutus est [2]. Alexandro ergo hanc enumerationem vindicandam esse censemus. accuratiorem huius rei quaestionem et novam editionem verborum, quae Alexandro adscribimus, de causis supra adlatis differimus.

Cornuti Artis pars, quae de probationum solutione erat, non minus quam duae superiores ab epitomatore decurtata est. in Epitoma enim primum generatim de solutione probationum praecipitur (§ 186), tum paradigmatis solutio docetur (§ 187), denique quo modo singulae inartificiales probationes solvantur explicatur (§§ 188—191). in Cornuti Arte etiam de ceteris artificialibus probationibus, enthymemate epichiremate epenthymemate, solvendis praecepta data fuisse ex eo concludimus, quod Hermogenis Scholiasta praeceptum de epichirematis solutione inde excerptum W V 396 $_{18}$ —397 $_{8}$ exhibet.

---

[1] *Rh. Mus.* V 1847 p. 590; *Comment. in Arist. Rhet.* p. 289.

[2] W VII 762 $_{11}$ ab Alexandro, cui verba W VII 762 $_{7-15}$ supra in adn. LX $_{8}$ attribuimus, Aristotelis definitio enthymematis (Rhet. 1356 b $_{5}$) adfertur: *καὶ ἁπλῶς* (l. *ἄλλως*) *τὸ ἐνθύμημα συλλογισμὸς ῥητορικός.* W V 407 $_{10}$ sqq. Aristotelis *τεκμηρίων* et *σημείων* distinctio exponitur. W VII 765 $_{10}$ Alexander definitionem *γνώμης* secundum Aristotelis definitionem (Rhet. 1394 a $_{22}$) finxit. W V 406 $_{17}$ Alexandri enthymematis in genera divisio eadem est, qua Aristoteles Rhet. 1396 b $_{23}$ utitur. cf. etiam commentarium ad §§ 33, 146, 155.

Extrema pars tertii de inventione tomi, qua de oeconomia probationum agebatur, fere integra e Cornuti Arte in Epitomes §§ 192—194 transscripta esse videtur.

Περὶ εὑρέσεως τέταρτος τόμος.

Inde quod in Epitoma ceteris huius tomi excerptis definitiones epilogi (§§ 198—200) praemittuntur, in Cornuti Arte ipsa quartum de inventione tomum ab his definitionibus exorsum esse colligas, sed dubitamus, an Cornutus etymologiam nominis epilogi ante definitiones posuerit. quam E § 236 non genuinum locum tenere in propatulo est. iam Kaysero displicuit sententiam E 47 $_5$ in etymologia adhibitam minimo spatio inferius repeti E 48 $_4$, atque etiam magis offendit, quod etymologia inter partes inserta est, quibus non universus epilogus sed alterum eius membrum, scl. adfectus, tractatur. in primo autem de inventione tomo etymologia nominis prooemii definitiones antecedebat. Cornutum ergo etymologiam nominis epilogi ipsam quoque definitionibus praefixisse veri simile est. eundem non solum tres definitiones in Epitomen receptas enumerasse sed etiam quartam inter eas inseruisse Artis excerptum a Marcellino factum docet:

W IV 422 $_{29}$ (*ἐπίλογός ἐστι*) *ἐπάνοδος* ⟨*τῶν*⟩ *εἰρημένων.*

Epitomes partes, quae inde a § 201—§ 220 distinguuntur, eundem ordinem, quem in Cornuti Arte secuti sint, servare credimus, cum ratione et consilio dispositae esse cognoscantur.

§ 201 ad eas partes primi de inventione tomi relegamur, quibus quaestiones, ubi prooemium adhibendum quoque loco ponendum esset, continebantur. eadem enim, quae de prooemio, de epilogo dici posse. qui hanc § legerit, in opinionem adducetur, ut quaestionem, ubi epilogus adhibendus quoque loco ponendus sit, in quarto de inventione tomo omnino non esse tractatam putet. sed maiores partes ad hanc quaestionem spectant. itaque suspicamur Cornutum magis directis verbis ad ea relegasse, quae Alexander Apollodoreis adversatus de praetermissione et collocatione prooemii dixisse in primo de inventione tomo tradebatur. neque enim Alexandri de praetermissione et collocatione epilogi verba in excerptis quarti de inventione tomi reperiuntur.

§ 202 exemplum controversiae adfertur, in qua neque prooemio neque narratione neque epilogo, sed sola argumentatione

opus sit. hanc § Alexandri non esse eo comprobatur, quod in ea nomen *ἀποδείξεως* pro nomine *πίστεως* usurpatur.

§§ 203—206 postquam epilogus e duobus membris, recapitulatione et adfectibus, constare dictus est, causae alterius vel utriusque membri praetermittendi exponuntur. haec particula Neocli adsignanda est, quia causa adfectus praetermittendi (E 91 $_{1}$) haud diversa est a Neoclis pooemii praetermittendi causa § 22 et eadem oratio a Neocle E 6 $_{4}$ laudata etiam E 41 $_{6}$ citatur.

§§ 207—209 quid singuli rhetores *ἔργον* epilogi esse voluerint refertur. ubi definitio *ἔργον* epilogi ab epitomatore omissa est, quam Nicolaus praeter Platonis definitionem (Sp III 451 $_{8}$ = W II 7 $_{16}$) a Cornuti Arte repetivit et inde Doxopater exscripsit[1].

W II 124 $_{31}$ *ἔργον δὲ τοῦ ἐπιλόγου φασὶ καὶ τέλος τὸ ἐπὶ τῆς τελευτῆς παθαίνειν τοὺς ἀκροατὰς καὶ τὸ ἀνακεφαλαιοῦσθαι καὶ ὑπομιμνήσκειν αὐτοὺς τῶν ἐν τοῖς ἀγῶσι τὰ καιριώτατα.*

haec definitio in Cornuti Arte verba ex Aristotelis Arte Theodectica exscripta (E § 208) secuta esse videtur. verba enim E 41 $_{20}$ *οὔτε δὲ τὰ εὐμνημόνευτα οὔτε τὰ ἀπαθῆ κινητέον*, quae non iam partem praecepti Aristotelici esse eo adparet, quod in hoc tria *ἔργα ἐπιλόγου* esse docetur, certe eo consilio secundum Neoclis verba (E §§ 204, 205) scripta sunt, ut post illam definitionem (Apollodoreorum?), quae easdem duas epilogi partes atque Neocles distinguit, non semper utraque opus esse inculcaretur.

Epitomes partes huc usque perlustratae universum epilogum spectant, in inferioribus recapitulatio et adfectus separatim tractantur ac primum quidem recapitulatio. §§ 210—213 recapitulationis fine adlato in quaestionem vocatur, quibus locis recapitulatio adhibenda sit, quae res recapitulandae sint, ubi capitum cum suis probationibus mentio facienda sit. §§ 214—218 quattuor species recapitulationis enumerantur, quae Neoclis nomen prae se ferunt. eidem superiora de oeconomia praecepta vindicanda esse ex his indiciis colligimus. finis recapitulationis (§ 210) Neoclis fini narrationis (§ 46) simillimus est, nam ipse quoque e duobus membris constat, quorum inferius a verbis *ἢ νὴ Δία* incipit; in praeceptis ipsis nomina

---

[1] Cum in hanc definitionem verba *ἐπὶ τῆς τελευτῆς* recepta sint, Apollodoreis eam adscribamus, qui epilogum semper in extrema oratione poni iusserunt. cf. commentarium ad § 199.

πίστεως et *ἀποδείξεως* promiscue adhibentur (E 42 $_{12, 13}$), id quod Neocles alibi quoque fecit (E 30 $_{15, 27}$).

§ 219 praeceptum datur, ut orator breviter recapitulet neque aperte se recapitulare dicat. § 220 in quaestionibus coniecturalibus recapitulationem accusatoribus neque vero accusatis utilem esse docetur. etiam hoc utrumque praeceptum Neocli attribuendum est. verbum enim *φησί* E 42 $_{21}$ ab eodem subiecto atque verbum *φησί* E 42 $_{15}$ regi veri simillimum est, praesertim cum Neocles brevibus praeceptis suis tales sententias particula *γάρ* inchoatas, quales §§ 219, 220 inveniuntur, saepe adposuisse deprehendatur (cf. §§ 24, 25, 82, 128). accedit, quod pars utriusque praecepti cum verbis Quintiliani consentit (cf. commentarium). omnes autem loci Cornuti Artis, qui ita cum locis Quintiliani conspirant, ut hi et illi ex eodem auctore pendere putandi sint, a Neocle repetiti sunt.

§ 221 Epitome ab ordine Cornuti Artis discedit. nam hanc Alexandri de recapitulationis elocutione verba in tomo *περὶ λέξεως* inscripto exhibuisse certum est.

Sequuntur excerpta alterius partis, quae de adfectibus erat. in Cornuti Arte haec ita disposita esse videtur, ut primum, quid essent adfectus, tum quomodo moverentur exponeretur, denique eorum oeconomia tractaretur. in Epitoma enim primum Alexandri definitio adfectus adfertur (§ 222) et Neoclis definitio eiusdemque enumeratio adfectuum, qui in epilogum quadrent (§§ 223—228). tum de adfectuum excitatione agitur (§§ 229—234). collato Apsinis libro, in quo largissima copia praeceptorum de misericordia et adfectibus excitandis data est (Sp I 391—406), in Cornuti Arte quoque adfectuum excitationem pluribus tractatam esse probabile fit. exigua particula, quam Epitome exhibet, si tota ex uno libro in Cornuti Artem transscripta est, Alexandro adsignanda est. *διατυπώσεως* enim explicatio, quae § 233 extat, haud diversa est ab ea, quae in Alexandri de figuris libro erat[1], et definitio *διατυπώσεως* E 46 $_4$ eadem ratione superioribus verbis adnexa est, qua Alexander alibi usus est[2]. quare dubitari non potest, quin § 233 Alexandri sit.

[1] Cf. excerptum huius libri Sp III 25 13 *διατύπωσις . . ἐστίν, ὅταν . . μὴ τοὺς λόγους μόνον* (= E 45 20), *ἀλλὰ καὶ τὰ ἐναργήματα* (= E 46 1) . . *διατυπώμεθα.* definitio *διατυπώσεως* ipsa, quae in Alexandri de figuris libro erat, ei quae in Cornuti Arte adferebatur, non prorsus par erat (cf. commentarium ad E 46 4), sed partes utriusque congruebant.

[2] E 46 3 *ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν διατύπωσιν* | W VII 407 7 *ἐπεὶ δὲ πᾶν ἐνθύμημα,*

§ 235 denique praecipitur, ut accusantes et accusati iudices diverse moveant. hoc igitur praeceptum, cuius auctor reperiri non potest, ad oeconomiam adfectuum attinet ut praeceptum de adfectuum collocatione datum (§ 239), quod Neocli adscripsimus[1], quia id eidem auctori deberi atque verba E 30 $_{19}$ patet. in Cornuti autem Arte praecepta Epitomes § 235 et § 239 arcte cohaesisse sumenda sunt, cum §§ 236—238 ab epitomatore inter ea inserta esse constet. etymologiam enim nominis epilogi (§ 236) sub initium quarti de inventione tomi collocatam fuisse, proxima de prooemii et epilogi differentia verba (§ 237) ex eis, quae de hac re in primo de inventione tomo dicta erant, excerpta, Alexandri de adfectuum elocutione praeceptum (§ 238) e Cornuti Artis quinto tomo ereptum esse supra demonstravimus.

Περὶ λέξεως τόμος.

Ex ordine huius tomi excerptorum, quae E §§ 240—253 continentur, dispositionem tomi hanc fuisse concludimus, ut primum Alexandri de elocutione quattuor partium verba una cum eius brevibus de actione singularum partium praeceptis, tum Harpocrationis verba, denique Dionysii verba adferrentur.

Quae Alexander de prooemii elocutione et actione praescripsit, excerpto Epitomes (§ 240) et excerpto ab Hermogenis Scholiasta facto (W VII 52 $_{11-14}$; VII 716, V 382 $_{8}$ sqq., VII 715 $_{7}$) inter se comparatis ita fere restituenda sunt:

τοῦ μὲν προοιμίου ἡ ἑρμηνεία τῇ μὲν ἐκλογῇ ἀπερίεργος ἔστω τε καὶ ἥκιστα σημειώδης. γίνεται δὲ τοιαύτη, ὅταν ἐκφύγῃ τις τοὺς ἐμφανεῖς τρόπους καὶ τὰς γλωσσηματικὰς λέξεις. ἡ δὲ σύνθεσις ἔστω ἐνίοτε μὲν συνεστραμμένη καὶ πικρά, ἐνίοτε δὲ διηγηματική. τοῦ δὲ προοιμίου ἡ ὑπόκρισις μετρία ἔστω καὶ ἀτάραχος καὶ τοῖς ὑποκειμένοις οἰκεία.

Alexandri de narrationis elocutione et actione praeceptum integrius in Epitoma servatur (§§ 136, 137), sed ne hoc quidem prorsus intactum esse altero eiusdem excerpto (§ 241) confirmatur.

ἔφαμεν πάθη κινεῖν, ῥητέον, τίς ἐστιν ἡ διατύπωσις.

ὡς ἔφαμεν, ἢ ἐκ μάχης ἢ ἐξ ἀκολουθίας γίνεται, ἀναγκαῖον περὶ ἀκολουθίας καὶ μάχης εἰπεῖν.

[1] Cum in hoc praecepto E 48 $_{5}$ eadem sententia reperiatur, quae E 47 $_{5}$ legitur, nominis epilogi etymologiam Neoclis esse pro certo habemus, id quod propter etymologiae cum Neoclis definitione epilogi consensum conicere licebat.

quo post adiectivum *θρασυτέραν* E 25* 30 ab epitomatore verba *καὶ μᾶλλον κεκινδυνευμένην* omissa esse cognoscitur.

Alexandri de argumentationis elocutione et actione praeceptum ex duobus eius excerptis, quae in Epitoma extant (§§ 196, 197; 242), hoc modo reficiendum esse videtur:

τὴν δὲ τῶν πίστεων ἑρμηνείαν οὔτε ἀφελῆ εἶναι δεῖ καθάπερ ἐν τῇ διηγήσει οὔτε ἀνηπλωμένην, ἀλλὰ καὶ συνεστραμμένην καὶ οἷον εἰπεῖν κωνοειδῆ καὶ τὸ σύνολον ἀγωνιστικὴν καὶ ἐναγώνιόν τε καὶ πικράν· γίνεται δὲ τοιαύτη, ὅταν ἀνύῃ τις αὐτὴν περιόδοις καὶ κώλοις. ἁρμόζεσθαι δὲ δεῖ τῇ ὑποκρίσει τὸν λέγοντα πρὸς τὸ σχῆμα τοῦ λόγου.

Quin hoc praeceptum in Cornuti Arte ipsa definitiones periodi et membri, quarum excerptum Epitome tenuit (§ 242), consecutae sint, non dubitamus. cum enim Alexander saepius aliquo termino technico usus eius definitionem vel longiorem explicationem addiderit (cf. adn. LXV 2), eundem simili modo definitiones membri et periodi dedisse Cornutumque eis suas definitiones et alias adiunxisse facile credatur. Cornuti igitur Ars loco, de quo agitur, haec fere verba *ἐπεὶ δὲ τὴν τῶν πίστεων ἑρμηνείαν ἔφαμεν περιόδοις καὶ κώλοις ἀνυομένην εἶναι δεῖν, ῥητέον τί ἐστι κῶλον καὶ περίοδος*, tum Alexandri definitiones horum terminorum[1] et Cornuti definitiones una cum earum explicationibus[2], quas epitomator recepit, et fortasse periodi definitionem respondentem membri definitioni E 48 19 servatae exhibuisse putanda est.

Quod ad Alexandri de epilogi elocutione et actione verba, incertum est, utrum specialia de recapitulationis et adfectuum elocutione praecepta ante generale de epilogi elocutione et actione praeceptum in Cornuti Arte posita fuerint an contrarius ordo fuerit. traduntur illa praecepta fere integra, ut videtur, in excerptis quarti de inventione tomi (§§ 221, 238), hoc ex excerpto Epitomes (§ 243) et excerpto Nicolai (Sp III 477 5 sqq. = W II 614 5) hunc in modum restituendum est:

ἡ δὲ τῶν ἐπιλόγων φράσις ⌊ὅλως παθητικὴ ἔστω καὶ τολμηροτέρα τοῖς σχήμασι καὶ ταῖς δεινώσεσι καὶ τοῖς σχετλιασμοῖς, ἡ δὲ ὑπόκρισις περιπαθεστέρα.

---

[1] Cf. definitiones periodi et membri in Alexandri de figuris libro Sp III 27 17 sqq., quarum prior corrigenda est secundum Tiberii verba Sp III 93 7.

[2] Cf. W VII 890 20 sqq., 931 2 sqq. et quae de his locis supra p. XXX disseruimus.

Harpocrationis de elocutione praecepta, quorum partem Epitome §§ 138—142, partem §§ 244—252 exhibet, apud Cornutum coniuncta fuisse supra demonstravimus. quae epitomator in singulis mutaverit, statui nequit, cum nullus alius rhetor eadem excerpserit. Dionysii denique praecepta ab epitomatore non breviata esse persuasum habemus, nam omnes loci eorum, qui cum genuinis Dionysii verbis discrepant, librariorum incuria corrupti esse videntur.

DE CORNUTI AUCTORIBUS.

In quaestione de Cornuti Artis auctoribus instituenda scriptores antiquioris aetatis, quorum e libris unum duove praecepta rhetorica repetita sunt, ut Platonem, Aristotelem, Zenonem, Chrysippum, Dionysium Halicarnassensem[1], non curamus. in eos rhetores solos inquisituri sumus, quorum ex artibus Cornutus multas maiores partes descripsit, Harpocrationem, Alexandrum, Neoclem.

Harpocrationem eundem rhetorem esse contendimus, cuius scholiastae Hermogenis de statibus libri saepius mentionem faciunt. e compluribus locis Scholiorum (cf. adn. XXV $_3$) hunc Harpocrationem Hermogeni adversatum esse, sed eum ante Cornutum fuisse ex uno Syriani loco (W IV 298 $_{22}$) conclusimus. Harpocrationem autem, cuius fragmenta Arte a nobis restituta continebantur, Neocle et Alexandro aetate inferiorem fuisse eo confirmatur, quod ille de epenthymemate verba fecit (W V 410 $_{11}$—411 $_{18}$, E § 250). cum enim nullus rhetor ante Hermogenem (Sp II 220) et Harpocrationem

[1] Num Cornutus hos scriptores omnes ipse adierit, valde dubitamus. quem Aristotelis et Theodori de narrationis virtutibus verba (E §§ 102, 103) e Neoclis arte sumpsisse certum est et eidem Zenonis fines paradigmatis et narrationis deberi veri simile est. Neocles enim, qui (ut Cicero de Inv. I § 49 cf. adn. LX $_2$) comparabile tres habere species docuit, nomine paradigmatis et generaliter usus est in omni similium adpositione (E § 154) et specialiter in eis, quae rerum gestarum auctoritate nituntur (cf. Quint. V 11 $_6$). ut autem, quid esset paradigma, si nomen specialiter usurparetur, exponeret, Zenonis finem adhibuit (W V 396 $_2$ = E § 156) et secundum hunc suam παραβολῆς definitionem finxit (W V 395 $_{25}$). inde colligimus Zenonis finem narrationis (E § 48), qui Neoclis verbis continuatur, ipsum quoque e Neoclis libro in Cornuti Artem transscriptum esse. si igitur iure Neoclem Cornuto duos Zenonis fines suppeditasse sumimus, eorum auctorem Zenonem Citiensem esse, id quod Strillerus *De Stoicorum stud. rhet. Bresl. Phil. Abh.* I 2 p. 7 pro certo affirmare veritus est, multo probabilius fit. nam Neoclem saepe doctrinam Stoicorum secutum deprehendimus. cf. commentarium ad §§ 149, 173, 179, 224—228.

epenthymema commemoret[1], id Neocli et Alexandro, qui cetera genera probationum accurate explicaverunt, ignotum fuisse et inter horum et Hermogenis Harpocrationisque aetatem inventum esse probabile est. nescio an Harpocratio Alexandri libro ipso usus sit. Harpocratio tropicam elocutionem in prooemio evitari, ubi *δείνωσίς τις* sit, usurpari iubet (E 49 $_{8}$, 50 $_{17}$). Alexander praescribit, ut elocutio in prooemio *τοὺς ἐμφανεῖς τρόπους* fugiat, in adfectibus *πολλὴν τὴν τροπικὴν κατασκευὴν* habeat (W VII 52 $_{12}$ = V 382 $_{11}$, E 47 $_{14}$). Harpocrationis praeceptum, ut orator in argumentatione *οὐχ ἁπλῇ οὐδὲ διακεκομμένῃ τῇ φράσει* utatur (E 49 $_{21}$) idem valet atque Alexandri praeceptum, ut argumentationum elocutio *περιόδοις καὶ κώλοις ἀνυομένη* sit (E 48 $_{14}$). alia Harpocrationis praecepta in Epitoma tradita ut illud § 104, quod narrationis virtutes spectat, propinqua sunt uni ex Harpocrationis de statibus praeceptis ab Hermogenis scholiastis W IV 519 $_{27}$, VII 432 sq. servato, quo de collocatione *τῆς κατὰ τὸ πρός τι ἀντεξετάσεως* et *τῆς πηλικότητος* agitur. utrobique enim eadem ratio adhibetur, ut causae distinguantur et pro diversitate earum diversa praescribantur. itaque Harpocrationem, quo auctor Artis a nobis restitutae usus est, et rhetorem, qui Hermogeni adversatus de statibus scripsit, unum eundemque esse persuasum habemus[2].

Restat ut Harpocrationis fragmenta in Epitomen recepta enumeremus: §§ 8, 88, 104, 138—142, 159, 244—252.

Qua aetate Alexander, Numenii filius, qui etiam Alexander Numenius nominari solet, floruerit constat. nam ad eum referenda sunt, quae Suidas s. v. Numenii dicit *Νουμήνιος, ῥήτωρ· περὶ τῶν τῆς λέξεως καὶ τῆς διανοίας σχημάτων, ὑποθέσεις τῶν Θουκυδίδου καὶ Δημοσθένους, χρειῶν συναγωγήν, Ἀδριανῷ παραμυθητικὸν εἰς Ἀντίνοον*. ab hoc Numenio Suidas Alexandrum Numenium diversum esse existimavit, de quo s. v. Alexandri legitur *Ἀλέξανδρος ὁ Νουμηνίου, σοφιστής*, sed Suidam errasse eo ad-

[1] Anaximenem, cuius codd. Sp II 220 $_{28}$ *τὰ ἐπενθυμήματα* loco simplicis *ἐνθυμήματα* exhibent, epenthymema non nosse Spengelius iam monuit in commentario Anaxim. p. 221.

[2] Sitne hic Harpocratio pro uno ex eis habendus, quos eodem nomine praeditos aliunde cognoscimus, nullo modo statui potest. Seguerius in secunda adnotatione Epitomes editioni adnexa Harpocrationem in libello edito laudatum Aelium Harpocrationem esse sumpsit, quippe cui a Suida *τέχνη ῥητορική* adscriberetur. rationes, quibus Seguerius Aelium ab Harpocratione rhetore, qui Veri praeceptor fuisse traditur, non diversum esse probabat, facillimae sunt refutatu.

paret, quod librum *περὶ τῶν τῆς λέξεως καὶ τῆς διανοίας σχημάτων* a Suida Numenio adsignatum ab Alexandro, Numenii filio, compositum esse firmis argumentis vinci potest[1]. Alexander Numenius igitur Hadriano consolationem de morte Antinoi misisse putandus est, qua re eius aetas definitur. eidem Alexandro in anonymis Prolegomenis Hermogenis de statibus libri W IV 35 8 *τέχνη ῥητορικὴ περὶ ἀφορμῶν ῥητορικῶν* attribuitur. nescio an Cornutus ex hac arte verba Alexandri, quae exhibebat, descripserit. iam quae horum Epitome servaverit, congerenda sunt: §§ 3, 26—35, 37—39, 49—51, 62, 72—78, 113—116, 121—125, 129—137, 144—146, 155, 169, 196, 197, 200, 221, 222, 229—234, 238, 240—243[2].

De Neocle rhetore nihil aliunde comperimus, neque ex ipsis eius verbis in Cornuti Artem receptis certum de aetate colligi potest. utrum Quintilianus Neoclem ipsum an eius auctorem ante oculos habuerit, in medio relinquendum esse fassi sumus. hoc unum asseverare conamur Neoclem Alexandro superiorem fuisse. Alexander enim E §§ 130, 131 eis, qui vel post argumentationem et post epilogum narrari posse docebant, et E § 144 eis adversatur, qui *πίστιν* et *ἀπόδειξιν* non discernebant. utrobique Alexandrum ad Neoclem spectasse nobis persuasum est, cum hunc §§ 126—128 scripsisse et nomina *πίστεως* et *ἀποδείξεως* promiscue usurpasse cognoverimus. operae pretium est et doctrinam Alexandri et Neoclis pluribus exponere, sed hac expositione fines horum Prolegomenorum transiremus. itaque hic acquiescendum est in enumeratione earum Epitomes partium, quas Neocli vindicandas censemus: §§ 5—7[3], 21—25, 40—48[4], 53—61[5], 63—71, 79—87, 89—103, 105—112,

---

[1] Cf. Steusloffium Diss. l. p. 5—8.

[2] Fortasse coniciat quispiam praeter has §§ etiam Cornuti Artis de prooemii et epilogi differentia verba Alexandro deberi, quippe quorum partes cum Alexandri praeceptis concordent (cf. adn. XLII 2, 3). ne huic assentiamur, monemur verbis E 5 18 *δυναμένης μέντοι πεσεῖν εἰς πολιτικοὺς λόγους*. ubi sub notione *πολιτικῶν λόγων* solas orationes iudiciales et deliberativas intellegi patet (cf. adn. XXXVII 3). Alexandrum autem encomia quoque in numero civilium orationum habuisse eius fragmento Sp III 1 10 ostenditur.

[3] § 7 Neoclis esse inde colligimus, quod commemoratio duorum generum causarum, de quibus cf. commentarium ad § 7, auctori huius § cum Quintiliano communis est.

[4] Ad §§ 40—44 conscribendas Anaximenis artem adhibitam esse conspicuum est (cf. commentarium ad §§ 40—45). neque autem ulla alia praecepta Artis nisi complura eorum, quae Neocles de narrationis virtutibus dedit, ab Anaximene pendere deprehenduntur (cf. supra p. XLVI). itaque Neocli etiam illas §§ deberi probabile est. cf. etiam verba *νὴ Δία* E 10 20 et 11 12, 41 23.

[5] §§ 53—61, quas cum commentarium composuimus, Neocli attribuere

117—120, 126—128, 147—154, 156—157, 160—168, 170—185, 192—194[1], 198, 203—206, 210—220, 223—228, 236, 239.

Haud multae partes Epitomes restant, quae certis de causis uni ex tribus Cornuti auctoribus attribui non possint, et valde dubium est, num hae omnes a Cornuto ipso scriptae sint. inde intellegitur Cornutum magis id spectasse, ut utilia antiquiorum praecepta in Artem suam colligeret quam ut suo marte praecepta daret. qua re nobis haec Ars pluris aestimatur et auctori magnam habemus gratiam, quod tot tantasque partes artium veteriorum servavit.

DE RATIONE EDITIONIS.

Hoc nobis proposuimus, ut et Cornuti Artis Epitomen, quae codice P continetur, quam emendatissimam ederemus et quomodo ab Arte discreparet editione nostra quam plurimum patefaceremus. qua de causa in Epitoma, ubicunque Artis partes ab epitomatore omissas esse constat (ut §§ 2, 5), huius modi lacunas insertis lineolis (— — —) significavimus. omnes Epitomes partes, quas ab epitomatore transpositas esse cognovimus (ut §§ 3, 36), a sinistro margine aliquantulum removimus.

Ad verba Epitomes emendanda excerpta Epitomes et excerpta Artis multum conferre comprobavimus. itaque Epitomes verbis subscripsimus, quae paragraphi eius cum quibusdam Epitomes excerptis (EP), quae cum quibusdam Artis excerptis (AR) comparandae essent. quos Epitomes locos in P librariorum culpa depravatos secundum utraque excerpta sanaverimus, in adparatu critico adnotavimus. in eundem lectiones Artis excerptorum a P discrepantes recepimus eis locis, quibus aut dubitari potest, utra lectio praeferenda sit (ut E 5_{16}, 47_{10}), aut genuina

cunctati sumus, inter fragmenta huius rhetoris numerandas esse duabus rationibus comprobatur. quae enim §§ 54, 55 de generibus narrationis docentur, haud raro ad verbum cum Cornificii et Ciceronis expositione consentiunt (cf. commentarium ad has §§). reliquas autem Cornuti Artis partes, quae eodem modo cum illis rhetoribus Romanis conspirant, Neoclis esse constat (cf. commentarium ad §§ 65—68 et adn. LX 2). praeterea in § 61 eadem ratio adhibetur, quae in § 112, ut primum sententia quorundam rhetorum, qui pronomine τινες significantur, exponatur, tum quid alii, qui sub verbo φασι latent, ad illam refutandam dixerint, adferatur. § 112 autem Neoclis esse supra p. LIX demonstravimus. neque igitur dubitamus, quin tota Epitomes pars (§§ 53—61) Neoclis sit. ergo Alexander etiam verbis § 62 Neoclem impugnavit.

[1] §§ 192—194 Neocli adsignavimus, quia eundem auctorem, qui similia de oeconomia recapitulationis et adfectuum praecepta (§§ 211—213, 239) dedit, illas quoque §§ scripsisse et Quintilianum primam earum legisse veri simillimum est (cf. commentarium ad § 192).

verba Artis in excerptis servata sed ab epitomatore ipso mutata esse patet (ut E $2_{8,\ 10}$). Scholiorum Theonis et veteris Interpretationis Aphthonii eas partes, in quas Epitomes praecepta brevitatis perspicuitatis credibilitatis fere cuncta transscripta sunt, codicis instar habuimus earumque varias lectiones commemoravimus exceptis eis, quas consilio genuinis Epitomes verbis substitutas esse demonstravimus. hac lectionum varietate perlustrata intellegitur, quae ratio in recensendis verbis codicis P adhibenda sit. adferantur e. g. verba *εἰσι* et *δύνανται* E 14_{20} in P tradita, pro quibus apud AJ *ἐστι* et *δύναται* legitur. inde collegimus, ubicunque in P cum plurali nominis generis neutrius pluralis verbi coniungitur, hunc corrigendum neque epitomatorem ita peccasse putandum esse. contra duo Demosthenis loci E 16_{6}, 18_{15}, qui et in P et apud AJ inveniuntur, hic non minus decurtati corruptique sunt quam illic. itaque cum Epitomen verba ex antiquioribus scriptoribus inde a Thucydide usque ad Dionysium adlata nullo tempore emendatiora exhibuisse nobis persuasum sit, quam hodie in P extant, non emendare studuimus, quae etiam in ipsorum auctorum libris manuscriptis aetatem tulerunt, sed ea tantum, quae alibi non traduntur.

Quantum fructum e codice P denuo excusso perceperimus, non cognosces nisi editionem nostram cum Segueriana contuleris. neque enim, ubi quaedam verba a Seguerio praetermissa recepimus et falsas eius lectiones correximus, huius rei mentionem fecimus. omnibus autem locis, quibus Seguerius ut genuina Epitomes verba restituit ita verba in codice corrupta esse non dixit, errores codicis a Seguerio sublatos esse adnotavimus (ut E 14_{12}, 21_{4}). nonnullis locis, quibus dubitari potest, an Seguerius lectiones codicis, quae nobis se recte habere videntur, consilio tacitus mutaverit, Seguerii lectiones quasi coniecturas adtulimus (ut E 9_{27}, 37_{6}). nam coniecturarum, quae nobis innotuerunt, ullas omittere veriti sumus[1], cum id spectaremus, ut editione nostra necessaria supellex critica eis suppeditaretur, quos magno numero locorum nondum sanatorum emendatricem manum admoturos esse speramus maiore quam nos ingenio.

---

[1] Solas eas coniecturas, quas rectas esse codice P aut excerptis comprobatum est, et eas, quae ad verba ex antiquioribus auctoribus adlata spectant, omittendas censuimus. ex ceteris duas suis locis commemorare negleximus. Kayserus enim E 18_{4} *ἀλόγοις* in *ἀλλοτρίοις*, 21_{2} *τριηρίτῃ* in *πυαρίτῃ* (Vesp. 710) mutari iussit.

CORNUTI

ARTIS RHETORICAE EPITOME

INDEX NOTARUM

P = cod. Par. Gr. 1874
Seg = Seguerius
Sp = Spengelius
F = Finckhius
K = Kayserus
Wil = Wilamowitzius

TS = Theonis Scholiasta
AJ = Aphthonii Interpretes vetustiores
HS = Hermogenis de Inv. librorum Scholiasta vetustior
Prol. = Anonyma Hermogenis de Stat. libri Prolegomena W VII 1—34
EP = Epitomes excerptum
AR = Artis excerptum

Uncis [ ] inclusa sunt, quae delenda videntur

Uncis ⟨ ⟩ circumdata sunt, quae inserenda videntur

Asteriscis ** lacunae librariorum incuria ortae significantur, quae quibus verbis explendae sint incertius est.

Ubicunque ipsi unum ex tribus signis adhibendum censuimus, de hac re in adparatu critico verba non fecimus.

Ed. Sp. I | P fol.

427 1. Ὁ πολιτικὸς [ἤτοι δικανικὸς] λόγος εἰς τέσσαρα μέρη 120r διαιρεῖται τὰ προκείμενα· χρήζομεν γὰρ ἐν αὐτῷ προοιμίων μὲν πρὸς τὸ προσεχεστέρους ποιῆσαι τοὺς ἀκροατάς, διηγήσεως δὲ πρὸς τὸ διδάξαι τὸ πρᾶγμα, τῶν δὲ πίστεων πρὸς τὸ ἀνασκευάσαι ἢ κατασκευάσαι τὸ προκείμενον· τοὺς δὲ ἐπιλόγους ἐπάγομεν πρὸς τὸ ἐπιρρῶσαι τὸν ἀκούοντα εἰς τὴν ὑπὲρ ἡμῶν ψῆφον. 2. — — — πρῶτον μὲν οὖν περὶ προοιμίων λεκτέον καὶ ἑξῆς περὶ τῶν λοιπῶν.

3. Ἔνιοι μὲν τῶν τεχνογράφων ἐκ τῶν αὐτῶν ὁρμᾶσθαι τὸ προοίμιον καὶ τὸν ἐπίλογόν φασιν, Ἀλέξανδρος δὲ οὐκ ἀληθές φησι τοῦτο· ἐνίοτε γὰρ ἑτέρας μὲν ὕλας ἔχει τὸ προοίμιον καὶ ἑτέρας ὁ ἐπίλογος.

4. Ἰστέον ὅτι κυρίως ⟨μὲν⟩ προοίμια ἔλεγον οἱ παλαιοὶ τὰ τῶν κιθαρῳδῶν· οἴμας γὰρ ἐκάλουν οὗτοι τὰς ᾠδάς. τὸ οὖν ἀνάκρουμα τὸ πρὸ τῆς ᾠδῆς τῆς κιθάρας προοίμιον ἐκάλουν· ἀπὸ τούτου ⟨δὲ⟩ καὶ ἐπὶ τὸν ῥητορικὸν μετενήνεκται λόγον τὸ ὄνομα.

5. Ὁρίζονται δὲ αὐτὸ οὕτως· — — — προοίμιόν ἐστι λόγος κινητικὸς ἢ θεραπευτικὸς τῶν τοῦ ἀκροατοῦ παθῶν·

§ 1 EP Prol. W VII 26 17—21; AR HS W VI 511 4–12 § 2 AR HS W VI 511 19—20 § 4 AR HS W VII 52 17—19, 697 6—8, VI 511 22—512 2

Titulus in P *ΤΕΧΝΗ ΤΟΥ ΠΟΛΙΤΙΚΟΥ ΛΟΓΟΥ*, index capitis in P *ΠΕΡΙ ΠΡΟΟΙΜΙΩΝ*. 1 *ἤτοι δικανικὸς* om HS 4 *κατασκευάσαι ἢ ἀνασκευάσαι* P em HS et Prol. W VII 26 19 8 *ἐφεξῆς* HS 12 *προοίμιον, ἑτέρας δ'* Sp 13 *μὲν* HS om P 16 *δὲ* HS om P ‖ *τῶν ῥητορικῶν — λόγων* P em Sp

---

§ 3 Alexandri. *Ἔνιοι* i. e. Apollodorei, qui prooemii et epilogi naturam haud diversam esse docent § 27 sq. Apollodoreorum sententiam Hermogenes sequitur Sp. II 149 7 *οἱ ἐπίλογοι λαμβάνονται μὲν ἀφ' ὧνπερ καὶ τὰ προοίμια.* §§ 5—7 Neoclis.

παρασκευάσαι γὰρ ἀκροατὴν ἀδύνατον μὴ κινήσαντα ἢ θεραπεύσαντα τὰ ἐν αὐτῷ πάθη. 6. *ἔστι δὲ πάθος πρόσκαιρος κατάστασις ψυχῆς, σφοδροτέραν ὁρμὴν ἢ ἀφορμὴν κινοῦσα, οἷον ἔλεος, ὀργή, φόβος, μῖσος, ἐπιθυμία. διαφέρει δὲ τοῦ ἤθους ὅτι τὸ* 428 *μὲν δυσκίνητον, τὸ δὲ εὐκίνητον· ἦθος γάρ ἐστι διάθεσις ψυχῆς ἐνεσκιρωμένη καὶ δυσεξάλειπτος, οἷον τῶν πατέρων πρὸς τοὺς παῖδας.*

7. *Λαμβάνεται δὲ τὰ προοίμια ἐκ τεσσάρων τούτων· ἐκ τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ ἀντιδίκου, ἐκ τῶν δικαζόντων, ἐκ τῶν πραγμάτων. ἐκ τοῦ αὐτοῦ, ὡς ⟨ὁ⟩ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος* (54 § 1) *‹ὕβρεως›. ἂν δ' ὑπὲρ ἑτέρου λέγῃς, καὶ τοῦτο ἐπισημαίνεσθαι δεῖ, ὥσπερ πεποίηκε Λυσίας* (fr. 231) *λέγων· ‹ἐπιτήδειός μοί ἐστιν Ἄρχιππος οὑτοσί, ὦ ἄνδρες δικασταί›. ἐκ ⟨δὲ⟩ τοῦ ἀντιδίκου, ὡς ἐν τῷ κατὰ Μειδίου* (21 § 1) *‹τὴν μὲν ἀσέλγειαν›. ἐκ τῶν ἐκείνῳ συναγορευόντων, ὡς ⟨ὁ⟩ Δημοσθένης* (51 § 1) *‹εἰ μὲν οὕτως πλεῖστοι συνείποιεν, ὦ βουλή›. ἐκ δὲ τῶν πραγμάτων, ὡς Λυκοῦργος ἐν τῷ κατ' Αὐτολύκου* (fr. 15) *‹πολλῶν [δὲ] καὶ μεγάλων ἀγώνων εἰσεληλυθότων οὐδέποτε περὶ μειζόνων ἥκετε δικάσοντες›. ἐκ δὲ τῶν ἀκροατῶν ἢ τῶν δικαστῶν, ὡς ⟨ἐν τῷ Πλαταικῷ⟩ Ἰσοκράτης* (14 § 1) *‹εἰδότες ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι›.*

§ 7 AR HS W VII 54 18–21, Nicol. Sp III 473 26; cf. Schol. Dem. 54 § 1

---

3 *ἔλεον, ὀργήν, φόβον, μῖσος, ἐπιθυμίαν* P correxi 6 *ἐνεσκιρρωμένη* P 8, 10 *ἐκ τῶν αὐτοῦ* Sp, *ἀφ' ἑαυτοῦ* HS, Nicol., Schol. Dem. 18 *δὲ* om Schol. Dem., fort. *δὴ* Sauppius 19 *περὶ τηλικούτου δικάσοντες ἥκετε* Schol. Dem. 20 *ἐν τῷ Πλαταϊκῷ* HS et Schol. Dem. om P

---

§ 6 *πρόσκαιρος κατάστασις ψυχῆς* eadem definitio et § 223 et Doxop. W II 495 11 = 52 19. *διαφέρει κτέ* Planud. W V 561 13 *Ἦθος καὶ πάθος· διαφορὰ τούτων ὅτι τὸ μὲν ἦθος ἔμμονον εἶναί φασι, τὸ δὲ πάθος ἐπιγίνεσθαι καὶ ἐξίστασθαι ὡς ἐνεοῖς.* Doxop. W II 171 17 *τέσσαρα ταῦτα παράκειται ἀλλήλοις· πάθος, διάθεσις, ⟨ἦθος⟩ ὃ τινες καὶ ἕξιν λέγουσι, φύσις. τούτων τὸ μὲν πάθος ῥαδίως λύεται καὶ ταχὺ ἀποκαθίσταται, πρόσκαιρον ὂν ψυχῆς κατάστημα καὶ οὐ μόνιμον ... ἦθος .. χρονία τις ἂν εἴη ἕξις καὶ δυσκατάλυτος. ἐνεσκιρωμένη* Stob. Ecl. II 182 *νόσημα* definit *δόξαν ἐπιθυμίας ἐρρυηκυῖαν εἰς ἕξιν καὶ ἐνεσκιρωμένην* (sic codd. Wachsmuthiani FP). *τῶν πατέρων κτέ* HS W V 397 16 *ἔστι δὲ ἠθικὸν* (l. *ἠθικὰ* scl. *ζητήματα*) *μέν, ἐν οἷς ἡ σχέσις τίς ἐστιν, ὡς πατρὸς πρὸς υἱὸν ἢ ἀδελφῶν πρὸς ἀδελφούς, ἢ διάθεσις πρὸς ἀλλήλους, ὡς ἐρῶντος πρὸς ἐρώμενον.* § 7 Corn. I § 8 et Cic. de Inv. I § 22 *ab nostra, ab adversariorum, ab iudicum persona, a causa* benevolentiam comparari docent, cum Neocles ut Aristot. Rhet. 1415 a 25 ab eisdem prooemia fieri dicat. Quint. IV 1 6 sqq. ceterum cum Corn. et Cic., sed eo cum Neocle consentit, quod ipse quoque causarum mentionem facit, in quibus de actore alienae rei vel de patrono adversarii prooemium sit.

8. — — — *τοπικὰ δὲ προοίμια Ἁρποκρατίων φησὶ τὰ περιστατικά.*

9. — — — *σκοπὸς δὲ τοῦ προοιμίου τὸ τοιόνδε παρασκευάσαι τὸν ἀκροατήν, τέλος δὲ τὸ προσοχὴν καὶ εὐμάθειαν καὶ εὔνοιαν ἀπεργάσασθαι.*

10. — — — *εἰδότες γὰρ οἱ ἀκούοντες περὶ ὧν οἱ λόγοι εὐμαθέστεροι γενήσονται. εὐμάθειαν δὲ ποιεῖ προέκθεσις, ἀνανέωσις, μερισμός.* 11. *προέκθεσις μέν ἐστιν, ὅταν ἃ μέλλει τις λέγειν ὡς ἐν κεφαλαίῳ προεκθῆται, ὡς [Αἰσχίνης] ‹ἐπιδείξω δὲ καὶ τὸν ἄνδρα ἀνάξιον δωρεᾶς καὶ τὸ ψήφισμα παράνομον›.* 12. *ἀνανέωσις δέ ⟨ἐστιν⟩, ὅταν ἀναλαμβάνοντες τὰ προειρημένα εἴδη περὶ ὧν λέγειν μέλλομεν διορίσωμεν, ὡς Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου* (§ 116) *‹περὶ μὲν οὖν τοὺς πολίτας καὶ τοὺς οἰκείους οἷος γεγένηται, καὶ τὴν πατρῴαν οὐσίαν ὡς αἰσχρῶς ἀνάλωκε, καὶ τὴν ὕβριν εἰς τὸ αὑτοῦ σῶμα ὑμεῖς ἴστε καὶ ἱκανῶς ὑμᾶς ἀνέμνησεν ὁ παρ' ἐμὲ λόγος· δύο δέ μοι τὰς κατηγορίας λείπεται› καὶ ἑξῆς.* 13. *μερισμὸς δέ ἐστιν εἰς μέρη περιγραφὴ τῶν ὅλων πράξεων, ὡς πεποίηκεν ὁ Δημοσθένης* 429 (19 § 4) *‹βούλομαι δὲ ὑμᾶς ἀναμνῆσαι, τίνων προσήκει λόγον παρὰ πρεσβευτοῦ λαβεῖν· πρῶτον μὲν ὧν ἀπήγγειλε, δεύτερον δὲ ὧν ἔπραξε› καὶ ἑξῆς. ἰστέον δὲ ὡς μερισμὸς καὶ προέκθεσις καὶ ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου παραληφθήσεται, ἀνανέωσις δὲ οὐκέτι· τῶν γὰρ μὴ προειρημένων οὐκ ἔστιν ἀνανέωσις.*

§ 9 AR Nicol. Sp III 450 20—22

---

4 *προσέχειν* P em Nicol. 8 *μέλλῃ* P em Sp 9 *προεκθήσεται* P em Seg ‖ *Αἰσχίνης* del Wil

---

